

Bibliothèque numérique

medic@

**Castro, Esteban Rodrigo de.
Expositiones in aliquos Hippocratis
aegrotos admodum practicabiles.
Auctore Stephano Roderico
Castrense Lusitano...**

*Venetiis : apud F. Brogiollum, 1656.
Cote : 38993*



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?38993x02>

EXPOSITIONES

In aliquos

HIPPOCRATIS
ÆGROTOS,

Admodum practicabiles.

AUCTORE

STEPHANO RODERICO

Castrense Lusitano.

OLIM SERENISS. MAGNI DVCIS ETRVRÆ

Sanitatis Confiliario, & in Pisana Academia

Medicinam Supraordinario loco


docente.

SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, M. DC. LVI.

Apud Franciscum Brogiolum.



Illustrissimo, ac Generosissimo Domino

**D. MARCO
DE MARTELLIS.**

Senatori Florentino.

FRANCISCUS CASTRENSIS

STEPHANI FILIVS F. P.

DA est Solis benefica in omnes natura, ut vno eodemque tempore, & sublimia Regum palatia, & infimas rusticorum, pastorumque tabernas collustret; neque propterea æthereæ suæ sublimitati quidquam detrahat, immo maiori inde laude dignus acclametur. Ita Illustrissima D. tua instar ipsius Solis eximiae suæ virtutis radijs hoc tenue quidem munusculum, sed singulare meæ erga eam observantiæ monumentum, illustrare dignetur: præsertim cum sit opusculum à Parente meo, suoque olim addictissimo cliente elaboratum. Igitur enixè oro, ut læta fronte hoc, quādocumque est muneris, accipere velit: dicamque cum meo Genitore.

Sint tua facta mihi, quod mea Musa tibi.

A 2 AD

AD ILLVSTRIS. ET NOBILISS. VIRVM

MARCV M ARTELLVM

SENATOREM FLORENTINVM.

CARMEN.

Francisci Castrensis, quo ei hoc opus Stephani
Roderici Castrensis Patris
Dicat.

Lumine spargebat primo Tithonia Coniux
Terras puniceis lutea vecta rotis.
Autior irriguos somnus laxauerat artus,
Cum visa est oculis umbra inopina meis.
Charior Elysij domibus quæ venerat umbra,
Scilicet occurrit tristis imago Patris.
Qui mihi, longa trahens suspiria pectore ab imo,
Hos lacrymis mixtus fudit ab ore sonos.
Quid iuuat innumeras noctes vigilasse serenas.
Quidve dies tantos euigilasse iuuat?
Profuerit quid lingua bonas edocta per artes,
Profuerint mentis quid monumenta meæ?
Si tamen hæc pateris tenebris obducta iacere,
Publica per longos nec finis ine dies.
Proh dolor! haud versent scripta expectata Nepotes,
Posteritas tanta destituatur ope.
Si te tangit Amor fœtus, è faucibus Orci
Eripe, tu libros denique cude meos.
Vna Fluentinas inter M. ARTELLIA gentes
Gens micat, egregijs nobilitata Viris.
Illustres animas dedit hac de gente Vetustas,
Sæcula, & illustres vëstra dedere viros.

Quid

A V C T O R I S
E L O G I V M.
Illustrissimo Domino
VALENTINO
FARINOLÆ.

Sereniss. Magni Ducis Etruriæ
Auditori.



*Apientia, ac virtutum ceterarum simili-
tudo animum tuum animo Stephani
Castrensis arctissime agglutinauit. Tibi
igitur iure meritoque imago eius dicanda. Vale.*

CLarorum virorum ingenij monumenta ir-
requieta manu versare utile, mores intue-
ri iucundum. Stephani Castrensis Philosophi, ac
Medici præstantissimi scripta mortales omnes
mirantur, nec immeritò, cuius imaginem viri
nunc quasi carbone delineare animus fert. Pa-
tria ei Vlyssipo celeberrimum Europæ totius
Emporium, vbi Parentibus Francisc. Rodriguez
Castrensi, & Isabella Aluares honesto loco natis
oritur xiii. Kalendas Decemb. M. D. LXII. Glo-
riam,

7
riam, quam à natali solo nascens acceperat, præ-
claris lucubrationibus eidem magno fœnore,
redditurus. Viuida ei mens, & amœna. In palæ-
strâ litterariâ Musis se primum addixit, ac multus
in Poesi fuit, Elegos, epigrammata, & heroica
scripsit suauiter, acutè, grauitè, ac neruosè. Theo-
logiæ non ignarus, Philosophiam, ac Medici-
nam in Conymbricensi nobili Academia toto
pectore hausit. Sciendi amore adeò flagrabat,
vt quotidie solidas viij. horas studendo insumeret.
Felix qui nullam diem perdidisse, nullamq;
sine plurimis lineis præterisse, ac plus olei quam
vini adhibuisse gloriari poterat. Mero rarissimè,
eoque optimè diluto utebatur. Aqua sitim cre-
brò restinguebat, atque impigrè capaces frigida
pateras haurire, ac pleno se proluere crystallo so-
lebat. In medendo virtuti eius fortuna comes
fuit. Semino morborum Lynceus introspecie-
bat, remedijs ditissimus & vberimus, in præsa-
giendo euentu felix; quoad æger spiritum duce-
ret nunquam desperationi succumbebat, liquido
commostrans, magnæ indolis esse sperare sem-
per. Vbi enim Medicus despondet animum, egro-
tus tristitia obruitur, & mens consternata, ac ve-
lut effætis viribus, remedia pertinax auersatur.
Quo facilius omni domestica cura solutus sa-
pientiæ litaret, Genocvam Figueiram splendi-

dis natalibus ortam, ac benenummatam duxit uxorem; vixeruntque ambo mira concordia, per mutuam charitatem inuicem se anteponendo. Ex ea liberos tres suscepit Franciscum nunc superstitem, Antonium, & Martinum, qui iam è vita migrarunt. At desiderio præclariores Italia Vrbes perlustrandi motus, patriam relinquere decreuit, ac post longum iter Florentiam cum venisset, florentissimæ Ciuitatis fama, oculis proprijs testibus, captus hic sedem fixit; nec latere præclara hominis virtus diù potuit. Gerius de Spinis Senator, ac Iurisconsultus insignis atroci, ac penè conclamata valetudine laborabat, sed breui huius industria feliciter incolumitati redditus. Facinus in præclaro viro maximam nominis famam eicomparauit. Sacerdos quidam Scalandronius vulnus alebat venis, & cæco febrium igne carpebatur; noster Erasistratus vocatus vaseculo frigidæ accepto ægroti faciem nihil tale suspicantis repentè perfudit; ità natura irritata resumptis viribus profligata febre morbum superauit, hinc apparet Medicum solertem graues, & periculi plenas egritudines leuibus, & facillimis remedijs persæpè discutere, Sereniss. Cosmi II. Magni Etruriæ Ducis, qui diuturno conflictabatur morbo, valetudinem recreauit, eiusque in itinere Lauretano comes à Sereniss. Francisco Maria

ria Urbini Duce optimo ingeniorum æstimatore,
 qui eum super mensam audierat, commendatus
 est; quare Magnus Dux rediens publicè professus
 est: Stephanus Castrensis sua virtute nobis honor
 fuit. Aloysius Cardinalis Capponius in ancipiti
 ac diuturna valetudine viri opem expertus, ita,
 literis ad eum datis, eius Encomium paucis, sed
 grauibz verbis absoluit. Se numquam Medicū
 ei similem (per multis ob diutinam egritudinem
 vsus erat) cognouisse. Sereniss. Ferdinandus Ma-
 tuz Dux ancipiti morbo periclitabatur, inter dis-
 fidentes Medicos vnus Stephani Castrēsis con-
 silio acquieuit. Anno 1630. sæua lues ciuitatem
 Florentinam affligebat: magno publico bono
 Magistratus Sanitatis à consilijs deligitur; ex eius
 ingenij fonte multa vtilia feliciter profluxerunt.
 Sereniss. Ferdinandus II. M. Dux de Stephano di-
 cere solitus erat. Quoties virum hunc audio, sem-
 per aliquid nouæ cognitionis acquirō. Viginti
 annis in Pisano Lyceō mille aureorum stipendio,
 ac Supraordinarij titulo medicinam docuit. In-
 gentem gloriæ segetē adeptus sui nominis fama
 Lusitaniam, & Italiā impleuit. Vulgo iactabatur,
 Paroemia opus esse egroris, si valere cuperent,
 Medicum Lusitanum vocare. Ita emenso vitæ
 curriculo 78. ætatis anno, die Apostolorum Prin-
 cipi sacro, hora xx. mortalitatem expleuit, magna
 cum

cum religionis laude, totius vite noxas Patri Laurentio Cocchio Theatinorum familia confessus, spei plenus discessit, Francisco filio, amplum gloria Patrimonium, relinquens. Qui pius æquè, ac gratus Parentis fætus latentes in tenebris magna diligentia, ac labore conquisitos in lucem edidit; totidem signa auro pretiosiora, atque ære firmiora immortalitatis in Templo Patri optimè merito statuens: humatus est in Saluatoris Ecclesia, tota Ciuitate eius laudibus personante: Candom animi, auri negligentiam, beneficam in egenos manum, ac voluntatem alijs extollebant; alijs scientiarum supellectilem, Medicinæ, ac Philosophiæ thesauros in animo eius commorantes, humaniorum literarum ornamenta, suspiciebant. Plerique, ammisso tanto viro, iacturam non vulgare lacrimabatur. Ita funus, veluti triumphus, persolutum. Huius viri effigies veneranda inter illustrium Virorum imagines, quæ in augustissima Sereniss. Magni Etruriæ Ducis Pinacotheca asseruantur exposita est. Discant omnes eius exemplo inscitiam, ac desidiam fugere, alijs prodesse, sapientiam sectari; nam Stephanus Castrensis memoria virtutum per ora virum volitans, usque ad mundi decretoriam diem superstes erit, &c.

STE-



STEPHANI RODERICI

Castrensis Lusitani.

PROÆMIUM.



Quicumque arduum, & difficile Medicinae iter suscipit summa spe niti debet, ut experimento, & ratione simul (quæ duo sunt eiusdem artis crura) incedat. Simul dixi: nam seorsim vel Empiricum, vel methodicum faciunt: Empiricum sola experientia, methodicum sola ratio, utraque dogmaticum. Porro dogmaticorum princeps Hippocrates si historias, & singularem exempla omitteret, methodicus fieret: quippe methodici ars notitia quædam est communitatum, non proprietatum tanquam communem, & generalem hominem, non particularem curandum suscipiat. Si ex altera parte, in sola historia confisteret, empiricum imitaretur, qui, tamen si aliquid sæpissimè simili modo conspiciat, nullum tamen inde theorema artificiosum

Gal. 8.
met. c. 7.

Gal. 3.
met. c. 7.

sum constituit. Quid ergo? rationem quidem historia
 coniuñxit. Hoc non intelligebant veteres, quos redar-
 G.2. dif-
 ficul. re-
 sp. c. 7. guit Galenus, quippe Hippocratem cum Thucydide
 comparabant. At Thucydides omnia scripsit, etiam
 idiotis nota, nihil ipsorum penitus prætermittens. Hip-
 pocrates verò pauca ex ijs, quæ ad totam affectionem
 pertinent, circa quam agrotus est periclitatus, multa
 verò alia ab idiotis quidem neglecta artificiosam ve-
 ro, & exactam cognitionem exhibentia, et quæ etiam
 optimos Medicos sæpe latere possunt, scriptis manda-
 uit. Denique Thucydides quicquid circa agrotos
 contingit, velut idiota idiotis scripsit. Hippocratis
 vero, ut artifex artificibus. Vos autem ò Iuvenes,
 qui medicina sacris initiamini, & iam philosophia
 præceptis imbuti ad Hipocraticos fôtes acceditis, dum
 adhuc per vos ipsos experiri nequitis, quicquid exer-
 citatus ratione vir, longa observatione, & multorum
 amorum euentibus acquisiuit, attento animo consi-
 derate, & vtilitatem capturi, memores mente reponi-
 te. Ego, quæ meæ sunt partes, difficiliora explanabo,
 & quicquid præfari libet, paucis quibusdam, nec ina-
 nibus quæsitis in præsentia complebo.



PRIMUM QVAESITVM.

Quid impulit Hippocratem, vt historias scriberet?

TRiplex mihi occurrit ratio, quæ sapientissimum senem, vt historias conscriberet, persuasit. Prima. quoniam (vt ipse initio aphorismorum suorum scripsit) *vita brevis ars vero longa*. Porro vitæ breuitati consulens artem longissimam voluit decurtare: idcirco historias conscripsit: cum enim (vt Galenus ait) *vnus hominis vita ad omnium inuentionem sufficere nequeat, longi temporis obseruationes historia colligit, vt eius beneficio, tamquam ex multis tot seculorum hominibus, vnus efficiatur eruditissimus*. Altera. cum artis fundamenta iaceret, instrumentis ad inuentionem aptis, & fide, quæ nouarum rerum inuentoribus difficulter præstari solet, opus habuit. Ratio, & experimentum, ex Galeno, inuentionis sunt instrumenta, & simul, ex eodem, inuentorum fides faciunt. rursus ratio, & experimentum, vt diximus in historijs, locum habent. Merito ergo historias est amplexus, & in ijs tam inuentionis instrumentum, quàm inuentorum fidem. Tertia. Vt, & suæ, & aliarum memoria melius inferuiret, doctrinam per historias disposuit, adiungens semper locum in quo æger decubebat, aut eiusdem nomen, aut parentis, aut coniugis, aut heri. Hæc autem ad reminiscen-
tiam non parum faciunt.

*G. de sub
figur. em
piric. c. 9*

*G. 3. me-
th. c. 12.
de sang.
miss. c. 3.
G. 1. me-
th. c. 3.*

SE-

S ECVNDVM QVAESITVM.

*Quis doctrinae ordo in historijs seruetur?**G. initio
Artis
med.**Rossell.
G. ibid.**Manar.
dus, &
Thomas
a Vey-
ga.
Argent.
redarg.*

Cum triplicem statuatur doctrinae ordinem Galenus, primum, qui per resolutionem fit, secundum ex compositione eorum, quae per resolutionem sunt inuenta, tertium ex definitionis resolutione, hunc tertium in praesente omitendum cenfeo, non quia non detur (ut inanibus argumentis nixus Rossellus existimauit) sed quia ad praesentem rem nihil facere videtur. Nam definitiuus ordo, & ad totius compendium, & ad singulorum memoriam (ut Galenus est autor) praestat, haec autem duo, ut diximus, historia, ex se, habet. Porro de resolutione, & compositione si quis quarat, utrumque respondebo, diuerso tamen modo: quemadmodum, enim, eadem via est, quae ab Athenis ducit ad Thebas, & a Thebis ad Athenas, sic idem planè est a resolutione ad compositionem, & a compositione ad resolutionem procedere, Hippocrates inuentor processit resoluendo, quisquis autem addiscit, componendo addiscere oportet, quod ut pateat aliqua sunt enucleanda.

Resolutiua methodus a notione finis procedit; ideo omnium praestantissima a Galeno existimatur. Cur ita sit, non dixit, dixerunt tamen pro eo Manardus, & Thomas a Veyga: nempe quia resolutio propinqua est causae finali, quae diuina censetur. Redarguit Argentarius inueniens, finem hic non esse causam finalem, sed id, quod est ultimum, a quo incipit resolutio.

Deci-

Decipitur tamen : nam hic non loquimur de resolutione , quæ est operis demolitio : in hac quidem verum est , finem sumi pro eo , quod ultimum est , à quo incipit resolutio , e. g. tectum in domus ædificatione est ultimo , & , si quis rectè velit domum demoliri , à tecto incipiet . Loquimur de resolutione , in ordine doctrinæ , hoc est , quæ mente fit : mente autem ad causam finalem primo loco accedimus , e. g. lignorum , laterum , calcis , & arena , ad construendam domum , tamquam ad causam finalem , congregantur . Itaque vera resolutio , grecè ἀνάλυσις , licet ob vocabulorum penuriam appellari soleat resolutio , tamen propriè reditus est vniuscuiusque rei ad sua principalia . Sic mixtum resolvimus in elementa , sic particulare in vniuersalia , e. g. Socrates resoluitur in hominem , & in suam differentiam indiuiduantem , homo in animal , & rationale , ex quibus componitur .

Porro simplicium rerum finis sunt res compositæ , ac proinde vniuersalium particularia , cumque vnumquodque resoluatur in ea ex quibus componitur , resolutio fiet ex particularibus in vniuersalia . Sed quomodo ? Exemplum vobis fit , quod dici solet *philosophiam peperit admiratio* . Admiratus est quispiam singularem euentum , cepit causas rimari , & vniuersalia theoremata componere , quibus instructus , iam in multis eiusdem nature euentibus desinet amplius mirari . Hinc habetis methodum resolutiuam , qua Hippocrates , bonorum omnium in arte medica inuentor , fuit usus . Observauit particulares casus , & historias conscripsit , inde communia

nia quædam extraxit documenta, quibus alios libros impleuit.

Restat nunc videre quomodo addiscentes, ex aduerso compositiua vtantur methodo, methodum ne, an ordinem quis dixerit, parum refert. Porro methodus compositiua ex compositione constat eorum, quæ per resolutionem fuerunt inuenta. Pertinet ad addiscentes. Quicquid ergo artis procures resoluendo inuenerunt, postea componendo didicerunt. Hoc Galenum non

G. 2. dieb. de- latuisse reor: siquidem aliquando opus epidemion ante aphorismos, & prognostica scriptura fuisse ait: nempe insinuans artis inuentorem à singularibus casibus, qui in epidemijs narrantur, ad vniuersalia aphorismorum, & prognosticorum theorematata resoluendo processisse.

G. 3. prognost. c. 38. Alibi autem opus epidemion vltimo loco post aphorismos, & prognostica transcribi iubet, & in hoc insinuat debere addiscentem ab vniuersalibus theorematibus, quæ in aphorismis, & prognosticis continentur, incipere, vt tandem ad particulares casus, qui in epidemijs narrantur, deueniat: neque enim (vt Galenus ait) præcepta fidem faciunt, nisi prout stabiliuntur experimento. Tria tamen se se offerunt dubia, quibus respondere erit operæ pretium.

G. 5. proæmio c. 9. meth. c. 4. Primum Galenus expedire ait, vt exëplis tyrones exerceantur cum igitur medicinæ sacris initiati, tyrones dicantur, si hi exemplis sunt exercendi, ab exemplis addiscentes incipiant oportet, ac proinde resolutiuo, non compositiuo ordine. At expendere oportet, qui tyrones dicantur. Non quidem rerum artis omnino ignari, quorum

rum intellectus in doctrina, ad quam accedunt, est adhuc veluti tabula alba, in qua nihil est depictum. Quemadmodum namque quantumvis aliquis per multos annos librorum lectione militiam addiscat, si ad bellum accedat appellabitur tyro. Sic in Medicina arte ij, qui doctores ex libris nuncupantur, quando ad praxin se se conferant, tyrones sunt appellandi. Exerceantur itaque exemplis tyrones, postquam scilicet documentis sunt imbuti: quippe adhuc (ante exercitium) in tyrocinio esse dicuntur.

Secundum. Quoniam diximus resolutiuam methodum à particularibus progredi ad vniuersalia, videtur ob stare Galenus, qui sic ait: *ab specialissimis, quæ multa sunt, ad primum genus componendo accedamus.* sic ille, si ergo *ab specialissimis componendo* falsum erit *ab specialissimis resoluendo.* Sed aduertite compositionem duplicem esse, alteram, quæ opponitur diuisioni, alteram, quæ resolutioni. Galenum autem, ibi, cum de diuisione loqui constet, de ei opposita compositione agere. Igitur cum propriè diuisio sit totius in suas partes compositio ei opposita erit partium in suum totum, partes autem vniuersalium sunt particularia: si enim vniuersale diuidatur, in particularia debet diuidi, & eodem iure ex particularibus debet vniuersali compositione diuisioni opposita, componi. At verò compositio, quæ opponitur resolutioni, fit ex rebus prioribus in posteriora, sicut ei opposita resolutio, ex posterioribus in priora: quoniam ergo vniuersalia sunt priora natura particularibus, resolutio fit in vniuersalia, & ei

G. de placit. c. 9.

B

op-

opposita compositio ex vniuersalibus: iam enim diximus resolutionem sic ob penuriam vocabulorum appellari, re vera autem esse reditum, unicuiusque rei ad sua principia. Iam ergo manet satisfactum secundo dubio: quippe methodus diuisiua, quæ ad definitiuam, cui inseruit, refertur, esse aliam à resolutiua, de qua loquitur.

Tertium. Quoniam ars imitatur naturam, si natura procedit à simplicibus ad composita, cur non progreditur ars eodem modo? Multiplex potest esse responsio. Prima imitatur quidem naturam ars, & quemadmodum natura gignit componendo, sic ars in intellectu addiscentium, in intellectu autem inuentorem nondum ars dici potest, sed artis præludium. Altera. Ars imitatur naturam, natura autem prius corrumpit, ut postea generet, sic ars prius per resolutionem, quasi per ignorantie corruptionem inuenta, postea in intellectu suos generat habitus. Tertia. Imitatur natura ars in fine, non in medijs ad finem: quapropter, sicut naturæ est proprium aliquid gignere, sic etiam artis, diuerso tamen modo.

TERTIVM QVÆSITVM.

An in historijs Hippocraticis narrentur duntaxat morbi Epidemici?

Morborum quidam sunt pandemij, siue epidemij hoc est communes, alij sporades idest sparsi, sunt autem sparsi sic appellati, quoniam, ut Galenus ait, sparsim priuatimque pre-

G. 1. a-
est. c. 9.

prehendunt, ægros discrepantes fatigantes, neque secundum communem modum constantes. Communes, autem, vel sunt endemij, hoc est patrij, seu vernaculi, de quibus Hippocrates agit in libro de aere, aquis, & locis; vel epidemici, qui tempore aliquo, in regione aliqua abundant. Ex quibus si maior ægrotantium pars pereat, dicitur cum addito epidemia perniciofa, alio nomine *λοιμός* hoc est pestis, de peste autem nulum peculiarem confecit librum, quoniam ex epidemijs vnum esse illam per libros epidemiorum demonstravit. Si vero maior pars euadat, simpliciter appellatur epidemia, quæ libris epidemiorum, seu de morbis vulgaribus inscriptionem præbuit. Cum verò in his epidemiorum libris historiæ sint descriptæ, occasio non levis datur existimandi solos epidemicos morbos, in hisce historijs narrari.

Cæterum quoniam idem Hippocrates in libello de flatibus, ex victu morbos epidemicos fieri negat, ex victu, inquam, vniuscuiusque particulari, rectè sequitur, eos morbos, qui ex errore in particulari victu accidunt, esse sopradicos. At in hisce historijs morbi aliqui narrantur, qui ex particulari victu acciderunt, (sit vobis pro exemplo multorum instar vnus Silenus, quem *ex lassitudinibus, & potationibus, & exercitijs tempestiuis febris corripuit*) igitur, quamuis communem narret in epidemiorum libris cœli statum communesque morbos, nihilominus in historijs, nequid omitteret, ægrotos etiam commemorat sparsim, neque secundum communem modum laborantes.

B 2 QVAR-

QVARTVM QVAESITVM.

Cur signorum optimus observator Hippocrates signa
ex pulsibus ferè omisit?

G.3. cris.
c. ult.

Videtur huic quæsito respondere Galenus quando sic ait, signa ex pulsibus sumpta Hippocrates, vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti existimauit, iccirco non est executus. hoc nisi rectè intelligatur, vtrumque est falsum. nam & nouerat, & magni momenti existimauit, vtriusque vobis fiet palam. In primis idemmet Galenus faretur alibi, Hippocratem pulsum notitiam habuisse. Nec diffiteri quidem poterat: si quidem in Hippocraticis scriptis sæpè pulsum fit mentio. Vt quando ait, *cui vena in cubito pulsant* 12. & 1. *sanus, & iracundus est*. Venarum nomine more veterum arterias intellexit, quod Galenus sæpissime in memoriam reuocat. Et alibi. *Si vero pulsus in hypochondrio insit, perturbationem significat*. Et in historia filij Eratolai, secundum 1. epid. tempora autem pulsus erat, & iterum, saltatio autem venarum circa tempora detinebat, & in Cydis num. 6. filio in temporibus autem pulsus non defecit, & in 7. epid. historia Pherecydæ pulsus in fronte valde obscurus.

G.1. pro
gn. 28.

Verum dicetis Hippocratem in his sententijs loquutum de magna, & vehemente arteriarum motione, vt, ante quàm contingatur, innotescat, interdum egro duntaxat, quandoque etiam de foris intuentibus. Hoc quidem ita est, & nos cum Galeno admittimus. Ceterum sunt alij apud eundem Hippocratem loci, ex quibus colligitur, cum

eum non solum pulsationes conspicuas, sed inconspicuas etiam cognouisse. Vt cum ait, *Venarum pulsationes, & respiratio spiritus iuxta aetatem, & consonantiam, & dissonantiam sunt & morbi, & sanitatis signa.* quid clarius dici poterat? pulsationes quidem, quæ sunt sanitatis signa, non sunt conspicuæ, & vehementes, sed inconspicuæ, & moderatæ, & alibi *carnes attractrices ex ventre, & extrinsecus significat sensus: quoniam* *H. 6. e-*
expirabile, & inspirabile calidior venula sanguinis *pid. sect.*
multitudine exustum procreat, illisque secernit. Hæc *6. i prin-*
omnia de attractione aeris, & expulsiōe fuliginum Galenus interpretatur, fit autem attractio compressiōe arteriarum, expulsiō earundem dilatatione. Sic etiam verba illa, *Vrinæ excretio, statusque tum vnius, tum alterius partis, nutrimentique & spirationis.* Ibi Galenus nomine spirationis difflationem intelligit, difflatiō autē, motu arteriarum fit, vt idem Galenus est autor. Similiter de pulsu arteriarum inconspicuo intelligenda censeo, verba illa, *pulsus ad manum accelerantes debiles deficientes & statim pereunt.* Nec minus manifestè alibi sphymicam notitiam nobis tradit inquit, *in acutissimis febribus pulsus creberrimi, & maximi.* Et alibi, *Zoili fabri pulsus tremuli, & tardi.* Quid autem de Pythodoro cui *H. 4. epi-*
pulsus non defecit? sanè, licet Vallesius de pulsu *n. 31.*
conspicuo in temporibus verba hæc intelligat, *4. epid.*
nescio cur de inconspicuo nequeant intelligi. *num. 57.*
Valles.

Sed, quando iam Hippocratem pulsuum notitiam habuisse satis manet demonstratum, remanet alia pars demonstranda: nempe eam non parui momenti existimasse. Non potuit

B 3 qui-

quidem parui momenti existimare actionem
à corde immediate dependentem, nec rursus
potuit ignorare, actionem arteriarum immedia-

Hipp. de aliment. dicatio venarum iecur, radicatio arteriarum cor.
Nec solum magni momenti esse agnovit in ef-
Hip. 2. sendo (ut in scholis loqui solemus) sed etiam in
prog. n. significando: si quidem ab eo est dictum, qui
5. manibus contrectavit ventrem, & venas, minus fal-
li potest, quam qui non contrectavit.

Porro dicendum, Hippocratem omnia,
quæ ad artem pertinent novisse, non tamen
omnia accuratè tractasse, sed quædam insinuata
nobis reliquisse, forsitan, accuratius tradenda,

G. 1. de differ. si vita superfuisset, Iccirco Galenus ait, novit,
puls. c. 3. sed non excoluit. Sed cur idem Galenus ait (quod
& de prædict. initio diximus) vel quia non nouerat, vel quia non
ad posth. c. 12. magni momenti esse existimavit? hæc verba iam
monui cautè esse intelligenda, utpote quæ beni-
gnam recipiunt interpretationem. Agebat Ga-

lenus de signis futuræ crisis, inter hæc signa po-
nuntur aliqua sumpta à pulsu, quæ Hippocrates
potuit non adhuc novisse, vel protus contem-
pisse. Poterat quidem non novisse: quia in pri-
mordijs artis medicæ poterat debitas pulsuum
ad significandam mortem inferuire, crebritas
ad significandam febris acutiem, & horum duo-
rum duntaxat mentio facta apud Hippocratem
reperitur. Vterius quid scaperent medici tunc,

cum non exacta erat differentiarum cognitio:
signa quidem futuræ crisis expulsi venari diffi-
G. 3. crisis ult. cillimum est, quod indicat Galenus, qui ad si-
gna vomitus critici ab Hippocrate scripta adiū-
git

git signum ex inæqualitate pulsus, quod ab eodem Hippocrate, vel ignoratum, vel contemptum fuisse ait. Signa coctionis ex vrina sumuntur manifesta, non autem ex pulsu. Quod si Galenus coctionis signa tum ex pulsu, tum ex vrina accipi dixit, intelligite, vrinam directè esse coctionis significatricem, pulsum per longas ambages coctionem insinuare: nempe contractione maiore, quam sit dilatatio: cum enim contractione fuligines expellantur, cum rursus fuligines magis abundant, cum materia est cruda, sequitur, contractionem auctam materiae cruditatem indicare, vnde ex minore contractione minorem cruditatem, ac subinde coctionis aduentum arguimus. Erant hæ differentie ignotæ primis medicinæ fundatoribus, quare credibile est, eas Hippocratem ignorasse. Forsitan etiam non ignorauit, sed contempsit: cur .n. inter mille signa fidissima, qualia sunt, quæ in prædicto loco ex Hippocrate colligit Galenus, non contemneret signum vnum infidū, qualis est pulsus, de quo Celsus clamās, aut, *pulsui fallacissima rei credimus.*

Quamuis autem Hippocrates sphymicam partem non excoluit, hanc tamen ipsum sequuti (vt Galenus ait) alio aliud addente, vsque ad Galeni tempora absoluerunt, Galenus tandem pluribus libris adeo perfecte exornauit, vt nihil sit, quod adiungi possit. Sunt autem hi de pulsibus ad tyrones liber vnus; de differentiis pulsum libri quatuor; totidem de dignotione pulsum; totidem de causis pulsum, vnus de præcognitione ex pulsibus; & synopsis sexdecim suorum librorum de pulsibus.

QVINTVM QVAESITVM.

Cur Hippocratis seculo frequentes fiebant crises nostrum autem rare?

DVpliciter morbi solvuntur, vel per simplicem solutionem, vel per crism. Est autem crisis, siue iudicium (alias ætymologias non curo) subita, quæ in morbis mutatio fit, cuius species, seu differentias Galenus non semel colligit: nempe, quatuor *ad salutem, ad mortem, ad melius, ad deterius*. Sola, quæ ad salutem fit, simpliciter crisis appellatur, aliæ cum addito. Porro 3. *com.* crism fieri dixit Galenus per manifestas excretiones, & in hoc differt à simplice solutione, vnde 16. & 2. *aph.* 13. de meritò reprehenditur Vallesius, qui crism fieri ait per insensilem transpirationem. Itaque 6. 2. & 2. *aph.* 13. frequenter apud Hippocratem in ægrotis, qui sanantur, euacuationem aliquam manifestam reperietis, & simul hæc verba *iudicatus est*. rarò autem in nostris ægrotis ita accidere videmus.

Non vna duntaxat huius rei afferenda est ratio, sed ad plures respiciendum esse cenfeo, sunt autem, hæc, regio, vitæ consuetudo, & medicorum nimia sollicitudo. Regionis rationem habendam esse ad prænoscentiam crism dixit Galenus, nec est præter rationem. Nam regio calida humores generat irritantes, quales sunt biliosi, qui acutorum morborum sunt causæ, generat subinde facilè irritantes: quemadmodum, enim, mores hominum corporis temperamentum sequuntur, sic temperamentum, quod

quod natura etiam nuncupatur, sequitur humo-
rum in corpore prædominantium conditionem :
cum ergo natura sit, quæ crisis facit, ex Galeni
doctrina, ubi natura facilis est ad irrationem fa- *G. 17.*
cilis est ad crifim, quâ non nisi irritata molitur. *vsupar.*
Habetis ergo in regione calida morbos fieri, qui *c. 2.*
frequētius crifim patiuntur, hi sunt acuti, ut Ga-
lenus fidē facit, habetis in eadē regione naturas *G. 3. crif.*
esse ad irrationem, subinde ad crifim prōptas : *c. 3. 2.*
colligere ergo hinc licet, regionem calidissi- *crif. 11.*
mam, in qua degebat Hippocrates, vnam fuisse
ex causis, quæ frequentes inducebant crifes.

Altera causa est vita inordinata : quemadmo-
dum enim sine febre rigorem non vidit antiqui-
tas, quia (ut refert Galenus) veteres, nec blaneis *G. de rig.*
post cibum, nec vita otiosa utebantur. ita etiam *& palp.*
ob frugalitatem robore naturæ valde pollebant, *c. 7.*
propterea robusta natura facile in causam mor-
bificam insurgens, crifes moliebatur.

Tertia, quoniam antiquitas progressum mor-
borum diligenter speculabatur, & occasionem
faciendi, quam præcipitem esse nouerat, non
omittebat, ea tamen iudicij maturitate, ut suis
medicis auxilijs naturæ concursus non præoc-
cuparet. Nunc autem medici, vel quia critica
signa non contemplantur, naturæ morbum su-
perare satagentis cursum interrumpunt, vel quia
vulgo importunè, & intempestiuè remedia ex-
postulant, magis quàm medicæ artis præceptis
obtemperare malunt, aut quia scioli sunt, & non
sinunt naturam aliquid agere. Ageret quidem
illa non interpellata, cessat ad medici irruentem
audaciam.

SEX-

SEXTVM QVAESITVM:

*Cur Hippocrates in suis historijs vix vnquam reme-
diorum mentionem facit?*

G. 9. de
placit.
c. 5.

NUnquid remedia, quæ proficua esse pote-
rant, inuidus celauit? absit, vt hoc cogite-
mus de viro, quem Pæus diuina natura prædi-
tum acclamauit. Nunquid ægris prodesse noluit,
& propterea remedijs nō est vsus? At ille (vt Ga-
lenus ait) humanitate, & benignitate hominibus
medebatur. Nunquid negligentiæ attribui debet,
quod facienda omiserit? At diligētissimū eum
vocat Galenus. Nunquid remedia, aut agendorū
methodum ignorauit? At remedia quāplurima
alibi scripta reliquit, methodi autem inuentorē
fuisse constat ex Galeno. Nunquid remedia, quæ
scriptis tradidit nullius momenti esse putauit, ac
propterea in curatione morborū ea cōtempnit?
Fallax esset, si nos falsa doceret, veritatis tamen
amatorem, & veracem, probum hunc Virū quis
cum Galeno non appellauit? quid ergo est exi-
stimandum? Nempe sapientissimū Senem di-
stinctē voluisse doctrinam tradere, cūq; homines
illius seculi longō annorū spatio artē medicam
didicissent, non eis deerant tēpus ad percurrēda
omnia. Posteriore autem æuo (ita suadente aua-
ritia) non dum ē tyrocinio egressi, ad lucrādum
accedunt: quapropter cupiūt cuncta promiscuē
audire, & promptis remediōrum siluam quæ-
runt, quā methodum ratione, & methodo cō-
paratam. iccirco præpostero ordine in Scholis
videbitis, initio artis medicæ, ante quam theorię
initientur, ad praxim cupidos accedere.

Æ G R O-

ÆGROTVS PRIMVS.

PHILISCVS propè muros habitabat, decubuit. Primo die febris acuta, sudauit, noctem laboriosam habuit. Secundo die omnia exacerbatum sunt. vesperi ab infuso per clysterem adhibito benè habuit, noctem quietam. Tertio mane, & vsque ad meridiem visus est à febre liber esse. Ad vesperam febris acuta cum sudore, siti culosus erat, lingua exsiccabatur, nigra minxit, noctem molestam habuit, non dormiuit, omnino delirauit. Quarto omnia exacerbatum sunt, vrina nigra nox tolerabilior, vrinae melioris coloris. Quinto circa meridiem parum de naribus stillauit non mixtum. Vrinae variae, quae habebant inmatantia quadam rotunda, geniturae similia, dispersa, non subsidebant. Subdita glande, flatuosa pauca prodierunt. Noctem habuit laboriosam, somni parui, sermones, deliramenta, extremitates vndique frigidae, & non amplius recalescentes. Minxit nigra, dormiuit parum, ad diem voce destitutus est, frigidum sudauit, extremitates liuidae. circa meridiem sexta die mortuus est. Huic Spiritus ad finem vsque veluti reuocanti, rarus, & magnus. Splen eleuatus est orbiculari gibbositate, sudores frigidi perpetuò, exacerbationes diebus paribus.

In totius anni vniuersali narratione Philisci narrationem bis factam reperietis. Primò quando ait, quinta die habuisse stillam sanguinis è naribus, Secundò quando die sexto obijisse narrat.

rat. Hæc eadem in præfente hiftoria referuntur, quare hic, & ille vnus, & idem eft. Eius ætatem *G. conie-* omifit, fed Galenus senem fuiſſe ſuſpicatur: ſi-
ctura quidem, ſi ætatis robore præſtans fuiſſet, ad
circa æ- octauum diem potuiſſet cum morbo perdura-
tatem. re, obiit ſexto: quoniam ætas erat non admodū
 valida. Mercurialis exiſtimat fuiſſe iuuenem: nā,
Hip. 3. vt Hippocrates ait, ex acutis citius intereunt
prog. 14. iuuenes: quippe grauius ægrotant: vnde veriſi-
 mile eſt fuiſſe iuuenem, eò maximè quòd labo-
 rauit ardente, & acuta febre, quæ fit in ætate
 iuuenili. Non omnino ſpernenda eſt iſthæc Mer-
Mer- curialis coniectura, cæterum, quia hic morbus
cur. con- aliquando inducias præbuit (præbuit autem ter-
iectura tia die, in qua viſus fuit à febre liber, & quinta, in
circa æ- qua parum quieuit) potior eſt ſententia Galeni,
tatem. duraturum ſcilicet per plures dies morbum fuiſ-
 ſe, & ad octauum vſque peruenturum, niſi vires
 defeciſſent. Incipit narrationem à die decubitus,
 vt addiſcatis, ex qua die debet incipere critico-
 rum ſupputatio, non à tempore laſſitudinum,
 hoc eſt, non à tempore neutralitatis, quippe cū
 laſſitudines non ſint morbi, ſed prænunciæ mor-
 borum, corpus ſub laſſitudinibus neutrum eſt,
 nec adhuc morbus aſeſt à cuius initio, quod eſt
 decumbendi hora, fit ſupputatio.

Prima die febris acuta -- Nempè vehemens ve-
 lox, continua, bilioſam poſſumus addere, & quæ
 ob eximiam vehementiam prima ſtatim die ta-
 lem ſe prodidit, ſed præcipue in primæ diei ſe-
 cunda parte, hoc eſt, in nocte: quippe apud me-
 dicos diei ſpatium eſt viginti quatuor horarum,
 qui incipit ab hora decubitus, & ſic computa-
 tionis

tionis ordò progreditur. Philiscum meridiè horam decubitus habuisse suspicor : quoniam tertia diè circa meridiem noua exacerbatio increuit, quinta circa meridiem parum de naribus stillauit, sexta circa meridiem occubuit. Itaque grauius meridiè ægrotans, decumbere fuit coactus, grauius nocturno tempore se habens, cum sudore, laboriosam transegit noctem.

*Autoris
cōiectu-
ra circa
horam
decubi-
tus.*

Sudauit, laboriosam noctem habuit -- Putat Mercurialis deprauatum esse contextum, quem ita corrigit *sudauit laboriosam ad noctem*. Tamen ipse in sua versione (in qua nihil vnquam à Cornario discrepat, & inutiliter se in translatorum numerum congeffit) laboriosam noctem sine controuersia legit. Verum exigua est differentia : quòd enim sudauerit, & nocte simul noctem laboriosam transegerit, idem est, ac laboriosè sudasse. Sudor, inquit, laboriosus est ille, qui fit præter tempus, cum non tollit, aut saltem lenit febrem, & cum difficulter fertur ab ægroto. Verum ad hoc significandum, quòd oportuit dicere laboriosè, satis quidem fuit, quòd dixerat prima diè, in qua nulla excretio est utilis, melius est dicere, noctem fuisse laboriosam, hoc est cum prauo sudore.

*Mer-
cur. re-
fellitur.*

Videntur quidem rationabiliter loqui illi, qui sudorem istum frigidum fuisse inquiunt. Hoc loco monendi estis, vt in Hippocratis historijs ante omnia respiciatis ad verba in fine historiæ apposita: ex his nāq; cognoscetis, quibus nā signis, Symptomatumq; maiorem fidem habuerit, inuenietis in fine huius historiæ (quod ad præsentem sudorem cognoscendum spectat) duo maxime

*Admo-
nitione
cessaria.*

xime necessaria. Primum tumorem lienis significantem huius visceris inflammationem, ob quam calor ad interna reuocabatur, & hæc poterat esse frigidi sudoris causa, deinde aliud, quod addit, sudores perpetuò fuisse frigidos: Si perpetuo, ergo à prima die.

*Sudor
in affli-
ctione
qualis.*

Quod si calidos adhuc prima die fuisse vultis, ne per expulsionem factos fuisse credatis, sed per expressionem factam à violenta afflictione: solent quippe ob hanc causam, qui in angore sunt, etiam sani ob passiones animi sudare. Itaque sudor iste in nocte laboriosa erat laboris foboles, seu effectus, non verò causa, ita ut hæc sit differentia in loquendi modo. Qui dixerit, sudavit laboriose, significabit, laboriosum sudorem fuisse causam laboriosæ noctis: qui verò dixerit sudavit, & addiderit laboriosam fuisse noctem, iudicabit ex labore noctis ortum fuisse sudorem.

*Hipp. 4.
eph, 37.*

Porro sudores isti, si frigidi erant, cum acuta esset febris, erant lethales, proinde poterat medicus statim prima die mortem prædicere. Ex aphorismo *frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore longitudinem morbi significant.* Si vero calidi erant, & simul cum morbo apparuerunt, erant parui. Sic in coacis *Sudor, qui cum febre incidit, malus.* Denique cum sudor suo tempore adueniens decretorius sit, extra tempus, seu potius ante tempus, damnatur: cupit iccirco Hippocrates, ne statim decretoria appareant.

Secunda die -- Primus impetus fuit vehemens, debuerat secunda die natura à pugna aliquantulum conquiescere. Tantum abest, ut quienerit, quin

quin potius omnia fuerunt exacerbata. Iam ergo si per tertium debent fieri exacerbationes, maior exacerbatio, quæ respondebit exacerbationi secundæ diei, fiet quarta die, & subinde morbus exacerbabitur per pares, & hanc etiam poterat medicus de ægrotantis rebus malè sperare, nam sic vel sexta, vel octava die acutissimus morbus iudicandus erat, harum vtraque ad bonam crism est inepta.

Verum in vltima diei parte ab infuso per clysterem benè habuit. Mercurialis profuisse existimat clysterem, & hanc morbi mitigationem, clysteri acceptam refert. Sed quid potuit clyster feces extrahens ab intestinis, humores intra venas, quæ sunt iuxta cor, praua putredine infectos mitigare? Profectò, nò quia clyster fuit iniectus, benè habuit, sed quia benè habuit, clyster fuit iniectus. Hoc est in hora quieris, quando exacerbatio cæpit mitescere, occasionem arripuit Hippocrates inijciendi clysterem, quem in vehemètia paroxysmi, regulariter nò inijcere conuenit, regulariter, inquam: nam coactè, si videlicet intolerabilia accidant tormina, aut aliud quidpiam, quod præceps minetur periculū, nulla habita exacerbationis cura, ad remedia confugimus. Hic obiter cauete à Mercuriali, qui ait semper optimum esse clysteres inijcere in hora vespertina. Hippocrates clysterē vespere iniecit, quia tunc aderat declinatio, alioquin si exacerbationis ratio liberum relinqueret medici arbitrium, eligèdum esset matutinum tempus, quod magis est ad omnia aptum; tunc enim æger apparet à nocturno somno aliquantulū recreatus,

*Mer-
cur. re-
follitur.*

*Mer-
cur. da-
mnatur.*

solis

solis etiam exortus aerem attemperans ægrotum iuuat. Præterea, si ex clystere, vel quouis medicamento perturbatio adfit, melius, & toleratur, & sedatur tempore diurno, quam nocturno, in quo, & quietis amissio est grauior, & quælibet afflictio molestior. Dixit ergo Hippocrates, vespere ab iniecto clystere melius habuit, hoc est, melius habuit post iniectum clysterem, non quod clyster fuerit causa, cur melius habuit, sed æger, qui cæperat quiescere, & ideo illi fuit clyster iniectus, postea etiam per aliquot horas melius habere perseverauit.

Tertio die — Usque ad meridiem, quæ erat hora reuersionis, visus fuit à febre liber, visus, inquam fuit, medicis imperitis, aut adstantibus idiotis, non autem sapientissimo Hippocrati, qui suæ ipsius doctrinæ memor, ijs, quæ præter rationem eueniunt, non esse credendum cognoscebat. Erat omnino præter rationem, vt febris ardens malignitatis signa indubitata præseferens, tertia die, nullis præcedentibus coctionis signis, nulla euacuatione alicuius momenti celebrata, liber à febre fieret.

Cæterum interrogabitis. nonne poterat præcedere euacuatio ab arte facta? poterat quidem, sed non quæ febrem omnino tolleretur. Potuit Hippocrates prima, aut secunda die, propter incendium febrile ad ventilandam, aut etiam minorem reddendam materiam, quæ intra vasa putrescens erat, & multò magis ad reuellendum à parte affecta, sanguinem mittere, purgans autem pharmacum in tanta caloris vehementia, post sudorem, post noctem laboriosam, nequa-

quaquam exhibere. Caterum in hac tertiæ diei parte, videlicet matutino tempore, quoniam nox præcessit admodum quæta, & quies adhuc perseverabat, conueniens fuit occasionem arripere, pharmacum exhibendi, quod forsitan Hippocrates præstitit, sed id non narrat, quoniam à remedium narratione solet abstinere, id alibi magis commodum fore ratus.

Ad vesperam febris acuta cum sudore -- Rediit ad suam acutiem, tertia die post meridiem (sic enim intelligitur illud vespere, quod Montanus non intellexit, cumque inuenisset in nonnullis codicibus *sub crepusculo*, existimauit, esse crepusculum matutinum, quod sequebatur post tertiā diē. Sed in græco codice est *προσδύνειν*, nempe à meridie) tunc igitur capit febris acuta quidem valde, sed quæ primæ diei responderet, licet multa habuerit, praua symptomata, quæ prima dies non habuit. Verum hæc pergentis in deterius morbi signa erant, nempe præter sudorem, qui prima die adfuit, sitis, quæ antea non ita valida corripuerat, & hoc familiare est omnibus ferè febribus, vt primis adhuc diebus humiditas non sit consumpta, propterea non datur sitiendi occasio. Porro contingit in vniuersalibus totius morbi temporibus idem, quod in particularibus. Inuadit accessio sine siti, quoniam tunc distillatur humiditas, deinde ad augmentum, & statum vsque calor fit maior, & ex maiori calore ventriculus exsiccat, palatum fit aridum, æger de siti conquæritur. Ita etiam in vniuersali principio, non exhausta adhuc humiditate, imò verò liquefacta, nulla adest sitis, pro-

Montanus non recipitur.

C

gref-

gressu temporis, & sitis, & linguæ ariditas propter durationem caloris fiunt, & hoc est, quod Hippocrates appellauit superius hoc libro, sitim non intempestiuam, hoc est, quæ tunc accessit cum par erat accidere.

Hic tamen animaduertere debetis, sitim hanc, quæ tertia die apparuit, fuisse solito maiorem, & secum habentem linguæ ariditatem, nihilominus prima statim die (licet Hippocrates id non exprefferit) sitim adfuisse. Nam febris erat ardens, quæ pathognomonica signa habet sitim, & calorem. pathognomonica autem signa ab assidentibus in eo differunt, quod illa semper simul cum morbo inuadunt, hæc autem non semper. Fuit ergo sitis statim à principio: quoniam statim à principio fuit febris ardens, sed sitis, quam tertia die superuenisse narrat, magnitudinem significat.

Quid ergo potuit sitis aucta, cum linguæ ariditate, tertio die superueniens, significare? nempe internam inflammationem (inflammationis nomine abscessum à quocumque humore ebulliente intelligo) cuius nam visceris erat inflammatio? tactu percipiebatur in sinistro hypochondrio, in quo residet lien. Erat, propter adustionem, sitis, & propter eandem, linguæ ariditas, seu asperitas, imo propter nigras fuligines, nigram etiam fuisse linguam, mihi persuadeo. Sed Hippocrates nihil de nigredine. Ita est, satis fuit dixisse aridam, ut adiungere nobis liceat, & nigram. Præterea, iuxta eiusdem Hippocratis doctrinam, lingua lotium significat; ideo eodem modo debuit esse, & lingua, & lotium, si lotium dicit fuisse

*Hip. 6.
epid.
sect. 5.
text. 14.*

fuisse nigrum, quid ni etiam nigra erit lingua? Atri humoris, & pessimi multitudo redundabat ex inflammato liene, propterea quod lien munere suo retinendi atram bilem, & eam per suos canales effundendi, non fungebatur.

Vnde nam nigredo in vrina? num ex atri humoris redundantia, an ex incendio, an ex frigidity? vnaquæque ex his causis sua signa habet. Redundare melancholicū succū cognoscimus ex liene, propter inflammationē impedito; incēdiū, ex inflammatione; frigidity, ex caloris extinctione, quā sudores frigidi poterant significare. Ego neq; adhuc frigidity eo processisse arbitror, vt vrinas denigraret, quas prius saltē liuidas fuisse oportebat (nam hic est gradus ad nigredinem ex frigore) neq; etiam prius virides fuerant, aut æruginosæ, aut aliū colorem, qui ad nigredinem factam ex calore ducat, habentes. Quare cū manifesta fuisset causa, nempe lienis inflammatio, & ex inflammatione colliquatio, ob quam atrabilis, vltra quam par est, aucta, & adusta vrinas potuerit tingere, non est, cur aliō recurramus. Erat autem pessimum signum serum atræ bilis, humoris scilicet perniciosi, per venas sero sanguinis esse permixtum, & tale per vrinas excerni, præcipuē cum morbus tunc inciperet: quippe *morbis quibuslibet incipientibus si atrabilis sursum, aut deorsum eruperit lethale.*

*H. 4. e-
ph. 22.*

Triplex

Erant prauæ vrinæ, tum quia in principio: *causa*
nec enim possumus dicere fuisse iudicatorias, *quare*
& per eas corpus ab atro humore mansisse ex- *vrina*
purgatum, præcipuē cum Hippocrates non di- *nigra*
cat, fuisse multas, nec crassas, tum quia cum *fuerunt*
C 2 liepis *prauæ.*

lien's inflammatione fiebant, unde oriebatur liquefacti illius visceris suspicio: Est namq; lien's substantia nigra, cuius liquefactio nigra etiam sit oportet. Tum denique quoniam non erat solum sedimentum nigrum, sed ipsamet urinae fusio, quod multum quidem refert: etenim authore Galeno pessima est tota urina denigrata, adeo ut neminem unquam servatum viderit ex ijs, qui talem urinam minxerunt. Minus vero perniciofa, si solum id, quod subsidet nigrum fuerit, atque adhuc minus, si solum id, quod in medio iacet, ac multo minus etiam, si nebula.

*G. I. cris.
c. 12.*

*Montanus
reij-
citur,*

Quoniam Hippocrates tertia die, & quarta, & quintae diei nocte urinarum nigrarum mentionem fecit, existimat Montanus, tertia die urinam sola hyposthafi nigram fuisse, inualefcente autem malo, quarta die fuisse & hyposthasin, & urinam nigram propter valde magnam incendiū. Sed quinta diei nocte nigredinem urinae, ex caloris innati extinctione, prodixisse. hanc suam considerationem ampullosis verbis extollit, quae tamen consideratio inanis quidem est. Nam solet Hippocrates singulorum dierum urinas commemorare, ut, si quid varient in melius, aut deterius, aut perseverent in malitia, cognoscamus. Iccirco quarta die urinas, ait, fuisse melioris coloris, quinta autem varias, quae noctu ad solitam ingredinem redierunt. Si vero ex uniuscuiusque diei repetitionibus, argumentum variationis causarum conficiendum est, nullus est aeger, in quo ista variatio non contingat. Praeterea non est credibile, ex una die in alteram, solo interdicto unius noctis spatio, unum, & eundem urinarum colorem contrarias omnino, habuisse causas.

Ne-

Noctem moleſtam -- Iactationibus, doloribus, anxietudinibus nox fit moleſta, moleſtior autem apparet propter ſomni priuationem : nam eo tempore dormire ſolemus, & tum quies, tum tenebrę ad ſomnum inuitant, quod ſi eo tempore vigilia adſit, intollerabilis eſt. Aderat autem tum moleſtia, hoc eſt anxietas, tum vigilia: quia bilioſus humor, & anxietudinem in ventriculo, & vigiliarum in cerebro, vellicando, & puniendo cauſa erat.

Omnino delirauit -- Quoniam (vt in fine narrationis addit) Spiritus toto morbo fuit rarus, & magnus, de quo ibi fuſius agemus: nunc pro hypotheſi habere oportet, hanc reſpirationem occupatę mentis ſignũ eſſe. Itaq; hæcenus obliuius erat, & tardè ad interrogata, diminutęq; reſpondebat, erant hæc futurę phreneſeos rudimenta. Sed vndenam id colligo? tum ex eò quod ſemper reſpirationem raram, & magnam habuit, tum ex eo quod nunc addit *omnino delirauit*. Conſidero illud *omnino*, quaſi dicat prius mētis conceptus turbulenti erant, non tamen ſermone exprimebantur. Iam nunc delirium omnino manifeſtum apparuit, nempe in ſermonibus, & actionibus. Tres ſunt delirantium gradus. prius quando æger errores mente concipit, quos tamen adhuc rationis fræno gubernat, ſecundus quando eos voce exprimit, tertio quando opere complet quicquid prius cogitauit. Hoc etiam ſanis euenire dicimus. Prius quidam odio infectus vindictam mente concipit, deinde dicit velle ſe vindictam ſumere, tandem recurrit ad arma. Itaque cum dicat *om-*

nino deliravit insinuat, prius fuisse *ταραχάδεν*, hoc est perturbatum, siue apprehensum delirio, quod in prorrheticis *ασαφιδες*, idest obscurum appellatur: quia vix non solum ab ignavis, sed à medicis etiam cognoscatur: à medicis, inquam, vulgaribus, qui solos phreneticos esse putant, quos exclamare, vel exhibere vident, ut medicus quidam, qui cum Galeno contendeat, asseuerans ægrum sic insanientem, neq; perniciosè habere, neq; phreneticum esse. Videndus est Galenus in citato prorrhetico, qui ægrum in delirio obscuro constitutum eleganter describit.

Cur pe- Cæterum delirare vigilantes maius malum
ius est est, quam si dormientes: nam per somnum, præ
deliriū mentis impotentia, facilis est lapsus in mentis
in vigi- alienationem, quod multis sanorum est familia-
lia, quā re, scilicet per somnum loqui. At vigilantibus,
in om- quando ratio est libera, si ea à recto deniet iti-
no. nere, longè maiorem facultatum rectricum si-
gnificat lapsum. Opponet tamen aliquis ex
aphorismo *vbi somnus laborem facit mortale*, & ex
alio *vbi somnus delirium sedat bonum*. Si ergo
H. 2. a- somnus, qui est aptus labores, & præcipuè deli-
ph. 1. 2. rium sedare, non sedat, sed excitat, videtur ma-
aph. 2. gnum esse malum, quo maius esse nequit, nempe
mortale, & longè minus, si vigilans deliret. Ad-
uertite in delirio duo esse considerata, cau-
sam, & subiectum; causam appello vapores, in-
flammationem, saltem phlogosim, spirituum
turbolentiam. Subiectum autem, sensus inter-
nos. Quod attinet ad causam, ea potest per
somnum mitigari, nempe coctione, humectatio-
ne, spirituum quiete, refectione; quod si som-
nus

nus hoc non efficiat, sed pro coctione, diffusionem faciat, pro humectatione, biliosorum vaporum augmentum, pro spirituum quiete, ac reformatione, eorundem agitationem, & dissolutionem. pernicioſa res est, tum ratione signi, tum ratione causæ. Et tunc videbitis ægrotantes è somno expergefactos, magis quam prius deliros permanere. Quòd verò spectat ad subiectum, nempe ad sensus internos, quorum læſio delirium est, multò facilius in somno patiuntur, quoniam tunc, quodammodo ligati, non possunt causis resistere, attamen cum æger expergiscitur, si somnus fuit bonus, nulla est ex parte sensuum repugnantia, sed patiens statim respiscit, Quoniam igitur Philiscus (vt ad rem nostram reuertamur.) non dormierit, & omnino delirauerit, signum est, delirium non fuisse ob sensuum impotentiam, sed ob vaporum multitudinem, si vero noctu dormiens delirasset, & vigilans respisceret exiguum erat malum, ad solam sensuum impotentiam reducendum. Hinc est quòd somnia turbulenta, magis futuri delirii signa, quàm delirium, appellantur.

Quarto die. -- Quia tertio grauiter ægrotauit, & quarto grauius, signum erat ægrotum in interitum velociter pergere. Præterea, quia exacerbatio quarti exacerbationi secundi respondebat, morbus per pares mouebatur, & in die pari (vt diximus) expectanda erat crisis, in die autem pari ex ijs, qui proximè futuri erant; neque enim morbus adeo acutus in multos dies produci poterat. Erant vrinæ adhuc nigra, quia causa ob quam tales fiebant, hoc est internum

incendium, & lienis inflammatio, permanebant. Nox istius quarti respondere debuit nocti secundi, proinde fuisse dicit tolerabiliorem. Non fuit tamen ita tolerabilis, ut nox secundæ diei: quippe morbus ingrauescebat, fuit tamen tolerabilior, quam nox præterita.

Vrina melioris coloris -- Cum adhuc dies quarta duraret, erat enim quartæ diei initium meridie, & durabat per viginti quatuor horas, nocturna quies, & melior vrinarum color poterat medico imponere, ut futuram salutem prædiceret. Verum in mea *Syntaxi prædictionum medicarum* medicum admoneo, ut tardus sit in prædicendo: nam melior vrinarum color non sufficit, debet etiam apparere aliquod sequestrationis signum, nempe aut nebula, aut appendiculum. Deinde color fuit melior, non vero simpliciter bonus. Tandem, licet simul cum colore fuissent aliqua coctionis rudimenta, coctio inter bona requisita vnum habere debet, ut scilicet perseveret. Quapropter non statim prædicere oportet, sed expectare donec signa sint firma. Potuit autem vrina in illa nocte colorem mutare, quoniam atra bilis fuerat per vrinas eiecta, & alia denuò non dum ad eam quantitatem peruenerat, quæ posset omnino nigro colore tingere, nec propterea existimandum erat, causam nigredinis, hoc est incendium, fuisse mitigatam, quod postea apparuit ex vrinarum mutationibus in diebus sequentibus.

Quinto circa meridiem -- Reuertebatur semper natura ad pugnam hora meridiana, in qua febris incæperat. Verum natura ad pugnam erat co-

cta,

sta, & impotens, coactam dignosco, quia ante coctionem euacuare tentauit, impotentem, quoniam initio statim destitit. Has incipientes, & non progredientes euacuationes adeo Galenus damnat, ut deteriora esse dicat ijs, quæ nullo pacto apparent, si ubi incæperint, cessent: contingit enim interdum, coquentem adhuc contristantia naturam nondum ad horum expulsionem excitari: in illis verò, quæ cæperunt quidem, sed protinus desierunt, apparet veluti excitatio quædam, conante natura excernere, quæ molesta sunt, atque ob imbecillitatem, quod proposuerat, perficere nequeunte.

Num ob solam debilitatem sanguinis stilla fit? Galenus, præter hanc causam, duas alias adducit, sanguinis scilicet crassitiem, & partium densitatem, vel quædam ex his, vel propter omnium concursum. Propterea existimat ab Hippocrate dictum, in acutis morbis, quæ in æstate, & autumnio fit sanguinis stillatio, robur, multamque in venis inflammationem significare, per robur densitatem intelligit. Quoniam ergo æstate, & autumnio benè fluentem sanguinem esse oportet, tum ob redundantiam flauæ bilis, tum ob ambientis eo tempore caliditatem, magnitudo quædam causæ indicatur, propter quam fluere inhibetur, hanc robur esse Hippocrates, hoc est densitatem, ait.

Verum mihi videntur febres ardentes, tam hyeme, quam æstate sanguinem supponere biliosum, & efficere tenuem, & utroque tempore idem esse malum. Vtrum vero semper stilla sanguinis in morbis acutis prauum sit signum, in hi-

G. 4. a-
cut. 67.

Gal. 1.
prorr.
sect. 1.
com. 1.

historia Metonis examinabimus. Sufficiat nunc scire in Philisco perniciosam fuisse, tum ob alias causas, tum quia sanguinis erat merus, seu impermixtus. Merum interpretatur Galenus atrum, seu nigrum: nam puri sanguinis excretio non est in lethali morbo visa vnquam. Sed quid oportet huius vocabuli significationem innouare, si eo Hippocrates, non solum in sanguine, sed in alijs etiam humoribus vtitur, meros appellans eos, qui suo sero priuantur? cum namq; vnicuique humori suus debeat ichor, tunc merum humorem appellat, cum sine ichore est. Stilla itaque sanguinis meri, est, ac si dicatis, sanguinis sine suo sero. prauum autem est signum synceritas; quia fit ab incendio aquositate consumente. Quod si quis pro Galeno dixerit, sanguinem sine sero saturatum habere colorem, si autem sero diluatur, albidiorum, non repugnabo. Erat igitur stilla, hoc est euacuatio diminuta, seu duntaxat incipiens, significans, & molestiam, & debilitatem naturæ; erat sanguinis meri, hoc est, sine suo ichore, indicans vehementissimum incendium; erat quinta die quando, videlicet, morbus qui mouebatur per pares, debuerat quiescere potius, quam euacuationibus perturbari, quid non habebat hæc euacuatio, quod mali ominis non esset.

Vrina varie-- Possumus vrinas varias appellare eas, quæ versicolores sunt, possumus etiam varias dicere, hoc est, inconstantes, significareque magnos naturæ conatus, ita vt interdum vinceret, interdum vinceretur. Cæterum in spatio temporis adeo exiguo, non potuit hæc

va-

varietas considerari: nam post meridiem varias
 urinas conspexit, quæ statim noctu ad solitam
 nigredinem redierunt. Iccirco magis placet va-
 rias appellare variegatas, seu versicolores. Com-
 parantur facibus versicoloribus, quas Hippo-
 crates dixit nigras esse diuturniores, sed valde
 lethales. *Hip. 2^a
 progn. 23.*

Dicetis tamen. Si urina versicolores veluti
 faeces, diuturnitatem significant, cur eas habuit
 Philiscus, qui breuiter, hoc est, sexta die est mor-
 tuus? scire expedit sententiam Hippocratis di-
 stinctiue esse intelligendam, videlicet, vel signi-
 ficant diuturnitatem, vel mortem, diuturnita-
 tem cum viribus validissimis: quippe ad varios
 humores expugnandos, multo tempore est opus,
 & (vt inquit Galenus) qui cum multis pugnat ini-
 micis, multum temporis consumat oportet;
 mortem verò cum infirmis viribus: hæ enim
 multorum simul infestantium hostium labores
 sustinere nequeunt.

Iterum interrogabitis, cur signum in urina,
 diuersos humores attestabatur, cum tamen sola
 bilis prædominans ex alijs signis cognosceretur?
 Respondeo, bilem duntaxat multorum humorum
 vices subire, tum propter eius eterogeneitatem,
 tum propter inæqualitatem caloris in eam agē-
 tis: quippe vna pars magis, quam alia aduritur,
 ideo ex pallida fit flaua, ex flaua rufa, ex rufa vi-
 tellina, deinde & porracea, & æruginosa.

Talis erat urina color, contenta vero aëre
 remota, seu innatantia, siue appendicula (sic. n.
 appellantur, quæ in medio innatant, sicut nu-
 bes, aut nubeculae, quæ in summa superficie ap-
 parent,

6. epid.
sect. 2.
tex. 37.

parent, hypostases, vel sedimenta, quæ in fundo resident) erant genituræ similia: hoc autem contentum, quod genituram, seu sperma refert dicitur *γερνιδης*, est vero album, granulosum, & nonnunquam etiam dicitur *ιερλιδης* hoc est vitreum. Conuulsiones per excretionem huiusmodi æneorematis sanantur, ut autor coacaram scriptum reliquit. Et in Perintho, ut narratur 6. epidemion, criticè excernebatur: quoniam crudus humor, & vitreus, qui in morbis pituitosis abundat, sic euacuatur. In acutis autem, qualis Philisici febris, quæ à pituita longè aberat, perniciosissimum fuit signum: quippe, quando non fit à pituita, fit à partium solidarum colliquamento: humor enim tertia coctione confectus, qui solidas partes nutrit, albus est, crassus, & subiecto cum semine idem.

G. 6. e-
pid. sect.
3. com.
36.

Erat etiam hoc æneorema rotundum, videlicet ex materia non fluida; quippe fluida figuram nullam seruant, & ab opifice calore, qui spissando, & cogendo rotunditatem efficit. Rotunditas enim, ex Galeno, ex materia fit viscosa, & ex efficiente calore. Materia iam nutritura, ac proinde consistentiam habens à calore, à quo liquatur, cum non possit sat bene liquari, in rotunditatem abit.

Verum si rotunditas fit à calore cogente, cur ait Hippocrates æneorema fuisse dispersum? Erat dispersum, quo ad materiam, glomeratum, quo ad figuram: etenim glomerati, & diuulsi æneorematis materia eadem esse potest: quæ enim in hepate, liene, & renibus partim assantur, linquantur, partim fiunt diuulsi, & frustulati.

latim concisæ exhausto humore, à quo inter se continebantur, sed semper à calore in orbem aguntur. Erat denique innatans, nec subsidebat, quoniam à flatibus attollebatur.

Subdita glande -- Cum nullam hætenus deiectionis mentionem fecerit, nisi eius, quæ secunda die ab infuso clystere sequuta fuit, pro hypothefi tenendum est, aluum huic fuisse astrictam, quod in internis inflammationibus euenire solet, surgente humiditatem sæcum calore, unde sæces induratae, difficilem habent exitum. Idcirco aluum mouere voluit, nec ausus fuit, alio vti auxilio, quam glande suppositoria; quæcumque fuerit siue lenis, siue acrior, parum refert. Vt fuit eo consilio, quod nobis scriptum reliquit, nempe si virtus valida fuerit clystere vtendum esse, si adsit imbecillitas glande. Attamen nihil hac via est consequutus: quippe intestina pauca quædam, & flatuosa reddiderunt. Pauca, quia tam leui instrumento natura debilis non potuit adiuuari, & sæcum renitentia non potuit superari; flatuosa, quoniam calor naturalis diminutus, & præter naturalis auctus, in materia adhuc cruda, flatus excitant: neque vero ita bilis abundabat, quin aliquid crudorum excrementorum, saltem in prima regione, non acerueretur. Obiter hic animaduertite, ægrum quinta hac die ad desperationis terminum fuisse deductum: siquidem exigua remedia non proficiebant, magna non tolerabantur.

Noctem habuit laboriosam -- Quintæ huius diei nox, nocti tertiæ diei respondere debuerat, & in hac nocte par erat, vt morbus inducias præ-

H. 1. a-
cut. text.
45.

præberet, & æger aliquantulum quiesceret. Verumtamen adeo increuerat ægritudo, vt labor labori videretur adiungi, & nox, quæ minus praua esse debuerat, fuit reliquis antecedentibus deterior, vt ventura dies, hoc est, sexta, quintam hanc prauissimam in prauitate superans, nihil aliud attulerit nisi mortem. Dixit itaque quintam fuisse laboriosam, quasi hoc generico vocabulo omnes labores compræhendantur. Incirco *parui somni*, quoniam dormire incipiens, à violentia symptomatum irrequietus excitabatur. *sermones*, nempe continuæ querimoniæ, verum non constantes, propterea ad sermones addit *deliramenta*. Tandem, quod extremum fuit malum, extremitates frigida, quæ propter virtutis inopiam, non recalescebant: non enim erat expulsio, quæ calor rursus ad partes refrigeratas mitteretur. Vrinæ solitam nigredinem receperant.

Dormiuit parum ad diem, voce destitutus -- Hic *H. 2, a-* quadrat aphorismus *vbi somnus laborem facit, le-*
phor. 1. thale. Æger, ex nocturno labore defatigatus, matutino tempore somnum suscepit, somnus, quantumvis breuissimus, aliquantulum debuerat labores sedare, tantum absuit, vt sedaret, quin potius auxit: siquidem ex somno expergefactus, mansit aphonicus, non quia ex loquacitate in taciturnitatem incidit; nam voce destitutus aliquid est maius, quàm ob mutescencia. Si vero huius aphoniæ causam inquiratis, nullam inuenietis in musculis respiratorijs; neque enim huius affectus hæcenus mentio est facta. Sed potest ne sine instrumentorum vocis vitio vox de-

deperdi? Poteſt, nimirum, ſi vel cerebrum ſit affectum, vt contingit in eiſdem ſphacelo, aut percuffione, vel quia membra reſpirationi inſeruiencia, ob debilitatem omnimodam, non poſſunt moueri motione, quæ aerem formandæ voci neceſſarium, atrahat. Solent moribundi exiguam vocem emittere, quia iam paucum aerem atrahunt. Ideo centurio cognouit in Chriſto Domino diuinitatem, quia clamans voce, magna expirauit. Philifcus erat iam adeo morti proximus, vt pauca illi ſupereſſent vitæ horæ: quippe hoc fuit mane, ille autem meridie obiit.

Aderat ante mortem frigidus ſudor, & lior partium extremarum. Cæterum cum in fine hiſtoriæ apponat Hippocrates, illum per totum morbum frigidum ſudorem habuiſſe, cur nunc, iuxta mortem, peculiarem ſudoris frigidi mentionem facit? Videlicet, quia, propter mortem, erat extremè frigidus, quod atteſtatur extremitatum lior, quippe lior morticinium quoddam eſt, & penitus extincti caloris ſignum.

Circa meridiem ſexta die mortuus eſt -- Inuaſionis febrilis hora meridiana erat, æger tamen in extremo languore conſtitutus, inuaſionis impetum non potuit tolerare, ſed victus ceſſit. Huic quatuor notatu digna toto morbo fuerunt, quæ in fine recenſet autor. Primum ſpiritus, veluti reuocanti, rarus, & magnus; ſecundum ſplen eleuatus orbiculari gibboſitate; tertium ſudores frigidi perpetuo; quartum exacerbationes diebus paribus. Retulit quæ ſingulis diebus contingebant, nunc in fine addit quæ fuerunt perpetua.

Re-

G. 1. de
diffic.re-
spir. c. 2.

Respiratio magna quidem fuit, quoniam rara, rara autem, quoniam ager mente erat turbatus. Dixi magnam, quoniam erat rara, quippe Galenus actiones istorum, quemadmodum per multum temporis fieri, ait, sic etiam & magnas. Obluiscuntur v. g. mingere, aut bibere, aut respirare, postea vna vice ultra mensuram mingunt, aut bibunt, aut respirant: quod enim sæpè debito tempore facere oportebat, id ipsum acruatim, urgente necessitate, explere coguntur, præsertim ubi necessarium id sit ad vitā. Dixi præterea raram fuisse, quia mens laborabat, & hoc quidem merito: nam ubi deest ratio, mensura tum agendi, tum quiescendi perditur, raritas autem fit propter maiores quietes, quam oportet. Qui igitur mente vacillant, animum simulachris occupatum habentes, actiones animales negligunt. Naturales quidem facultates (vt bene Galenus ibidem notauit) semper necessarijs sibi actionibus incumbunt, nunquam torpent, aut negligentes sunt: quæ verò è voluntatis libertate procedunt, ubi facultas in quibusdam fuerit occupata, alias contemnit. Sic celeriter ambulantes, si cogitatione aliqua irretimur, multum à priore concitato gradu remittimus, donec postea recordantes, velocius iterum viam suscipimus. Id quod sanis, sed mente occupatis contingit, contingere similiter solet, si mens ex morbo laboret, adeo vt ad vrinam reddendam, aut aluum deiciendam, non nisi admoniti accedant. Propterea Galenus, Philiscum habuisse, ait, spiritum magnum, & rarum, veluti reuocato, hoc est veluti

luti admonito ad respirandum, quod idem est ac si diceret, fuisse magnum, & rarum ex magnis intervallis. Alij reuocationem intelligunt inæqualitatem respirationis, cum videlicet spiritus intus reuocatur; vt in plorantibus pueris conspiciamus, quibus in medijs lachrymis, & quærelis, ingeminat respiratio. Fit hoc in ægrotis propter imbecillitatem, non aliter ac senibus ambulantibus contingit, qui præ debilitate cespitant.

Alterum, quod Hippocrates notauit. Philescum per totum morbum habuisse, est tumor in liene orbiculari gibbositate eleuatus. Erat lien tumidus, si enim fuissent tumidi duntaxat muscoli, tumor magis in longitudinem, quam in globulum fuisset deductus; erat magnus: quippe oculis, aut saltem tactu percipiebatur, quod non cuilibet tumori, sed solum magno conuenit. Erat insuper inflammatio: nam cum liene tumido, & indurato diuturnus fuit morbus, non autem acutus, vt hic fuit.

Interrogabitis, an febris fuerit accidens tumoris, vti febris ex bubone. Respondet Vallesius, non fuisse accidens: quoniam in excrementis aderant putredinis signa, quasi verò febres, quæ symptomata appellantur, omnes sint ephemera, at meminisse debuerat ab Hippocrate dictum *ex bubone febres omnes cræ mala, præter ephemeræ*. Profectò cum per totum morbum, hoc est, à principio morbi lienis tumor visus fuerit, dicendum est, hanc febrem in eo sensu dici accidens, in quo Veteres appellabant febrē pleurticam eam, quæ cum pleuritide fit, peripneumoniacam, quæ cum peripneumonia, hepaticam,

D

tiçam,

*Gal. de
diff. mor.
hor. c. 5.*

ticam, quæ cum hepatis inflammatione, phræneticam, quæ cum phrenitide, diciturque ista splenitica, quia erat cum inflammatione, splenis. Hæ enim febres licet non sint verè symptomata, vt veteres arbitratos fuisse suspicor, quos Galenus repræhendit, nihilominus symptomatis vicem gerunt, quatenus alterius morbi, velut umbra quædam, sunt, & hoc non tollit quominus veri morbi sint, hoc est affectus præter naturam lædentes sensibiliter, per se operationes. Dixit optimè Dinus, febrem semper esse morbum, sed respectu cogitationis nostræ, vt ad operationem dirigamur, symptoma dici posse: nam dum scimus, febrem esse symptoma, scimus, non omninò ad illam dirigendam esse cogitationem, sed simul ad morbum, ex quo pendet. Sic in Philisco, sanguis quidem si detraheretur ex brachio, debebat extrahi ex brachio sinistro, respectu habito ad inflammationem sinistri lateris. Si febris potum frigida expostularet, non erat exhibenda frigida propter internam inflammationem, & alia similia.


Tertium huic morbo perpetuum fuit sudor frigidus, signum lethale, dicente Hippocrate, *frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem*, sed cur febre acuta, subinde calidissima detentum corpus frigidum sudat? An quia sudor frigidus frigiditatis externæ est comes, densatur vapor iuxta cutem, cum autem cutis sit frigida, sudorem ibi detentum frigidum esse oportet. Si igitur externa frigebant, diceretur hæc febris lipyria, in qua externa frigent interiora vruntur.

Verum quoniam Hippocrates non dicit toto morbo

morbo fuisse extrema frigida, dicit tamen toto morbo fuisse sudorem frigidum, alia quærenda est ratio, & confugiendum ad caloris naturalis extinctionem: quippe ob defectum naturalis caloris vapores in aquam concrecentes, non habent à quo incalescant, propterea remanent frigidi. Addite ex caloris febrilis præsentia fieri antiperistasin, quo pacto in æstate aquæ sunt frigidiores, quam hyeme. Erat hæc febris helodes, seu typhodes, sic febres, quas continuus comitatur sudor, Græci appellant.

Quartum, quod annotavit, est exacerbationes fuisse diebus paribus, quod pollicebatur iudicationem die pari futuram, cumque ex morbi violentia, iudicatio debuit præsto fieri, non alia inter dies pares potuit esse, nisi aut quarta, aut sexta, aut octava, quartam evasit, quia morbus aliquantulum quieuit: tertia enim die visus fuit à febre liber, ad octavam peruenire non potuit, reliquum erat vt sexta moreretur.

Et ita contingit.



D 2 AGRO.

ÆGROTVS SECVNDVS.

SILENVS habitabat in Platamone, prope filios Eualcidis. Hunc ex lassitudinibus, & potationibus, ac exercitijs intempestivis febris corripuit. Cæpit autem ægrotare ex lumbis, & caput gravitas tenebat, & colli distentio erat. Ab aluo, prima die, biliosa, mera, spumosa, abunde colorata, multa prodierunt. Urinæ nigræ nigram subsidentiam habentes: siticulosus, lingua resiccata, nocte nihil dormiuit. Secunda die febris acuta, secessus plures, tenuiores, spumosi. Urinæ nigræ, nox molesta, parum deliravit. Tertia omnia exacerbata sunt, præcordij distentio vtrinque oblonga ad umbilicum submollis. secessus tennes, subnigri. Urinæ turbata subnigræ. Nocte nihil dormiuit, sermones multi, risus, cantus, continere se non patuit. Quarta per eadem. Quinta secessus biliosi meri, laues, pingues. Urinæ tennes, pellucidæ, parum resipiscebat. Sexta circa caput parum sudavit. Extremitates frigidæ, liuidæ. iactatio multa: ab aluo nihil prodijt. Urinæ suppressæ sunt, febris acuta septima die voce destitutus est. Extremitates non amplius recalescebant: nihil minxit. Octava sudavit frigidum per totum sudorem: papula cum sudore, rubra, rotundæ, parvæ, velut vari permanebant, non absedebant. Ab aluo verò cum parva irritatione, stercora tenuia velut inconcocta, multa prodibant cum dolore. Urinam reddebat cum dolore mordacem. Extremitates parum recalescebant. Somni tennes, soporosi. Vox intercepta. Urinæ tennes, pel-

pellucida. Nona per eadem. Decima potum non suscipiebat. Soporosus erat, somni autem tenues. Ab aluo similia. Minxit acervatim subcrassum depositum subsidens: subsidentia crassæ farinæ similis, alba. Extremitates rursus frigida. Undecima mortuus est. Ab initio huic, & ad finem usque spiritus magnus rarus: præcordij palpitatio assidua. Aetas erat circa annos viginti.

Non est iste Silenus cuius meminit in vniuersali constitutione: nam ille, veluti Philiscus, stillam sanguinis è naribus habuit, & sexta die obiit, in hoc, nec stillæ sanguinis fit mentio, nec mors nisi undecima accidit, propterea alius quid fuit: nomen enim Sileni Græcis familiarissimum, frequentissimum erat. Multa huic acciderunt, quæ etiam Philisco, aliquæ tamen diuersa, vt lumborum dolor, & capitis grauitas, alui fluxus, præcordij distentio ad vmbilicum sub mollis, papulæ rubræ, inclinatio ad somnum, exacerbationes diebus imparibus, & alia.

Narrat prius causas procatacticas, hoc est, antecedentes externas manifestas, à quibus egrotauit, eę fuerunt lassitudines, potationes, exercitia intempestiua: quamuis autem causæ istæ nihil, quod curationi vsui sit, edoceant, teste Galeno, nihilominus ad cognitionem plurimum facere idemmet scriptum reliquit in libro localium, propterea eas considerari iubet, passim, ab Hippocrate edoctus. Fuerunt autem causæ primitiua, quæ Silenum in febrem incidere fecerunt, in primis lassitudines, aliqui vertunt labores, causam scilicet pro effectu accipientes: quippe labor causa est defatigationis, nisi defa-

G. 4. me.
th. 3.

G. 2. de
cōp. med.
sec. lic.
cap. 1.

D 3 tiga-

tigatio sit spontanea. At ista Sileni non videtur fuisse spontanea: tum quia Hippocrates non simpliciter dixisset lassitudines, sed cum addito, vt solet, spontaneas: tum quia hæc Sileni lassitudines recensentur inter causas externas, lassitudines autem spontaneæ externis causis opponuntur: quippe idem est dicere lassitudinem spontaneam, ac si dicamus lassitudinem, quæ non fit à causa externa, sed interna.

G. 3. de
tēp. c. 2.
l. de caus.
morb. c.
3.

Fuerunt præterea *potationes*, scilicet vini. Dubitat Mercurialis quomodo potuerit vinum febrem, affectum videlicet calidum excitare; cum tamen vinum ex sententia Galeni frigidorum affectuum sit causa: Respondet sibi, potationes non fuisse solas, sed simul cum lassitudinibus, & exercitationibus. Verum quoniam hæc responsio non videbatur satisfacere, aliam adiungit; nempe, vinum moderatum calorem naturalem fouere, immoderatum morbos excitare calidos, immoderatissimum frigidos, vt pote quod calorem naturalem extinguit. Verum ista trimembris diuisio nullibi apud Galenum reperitur, qui vinum moderatum comparat oleo flammam fouenti, vinum immoderatum oleo superfluo flammam suffocanti. Deinde vinum immoderatum, quod excitat morbos calidos, vt calorem præter naturalem excitat, sic minuit naturalem, si vero ad caloris naturalis extinctionem procedatis, ad interitum deuenietis: neque enim dicimus fieri catarrhos & alios morbos frigidos propter caloris naturalis extinctionem, sed propter eiusdem diminutionem. Vallesius ex potationibus cruditates, ex
labo-

laboribus, & exercitijs biliosos humores excitatos, existimat fuisse causam, cur Silenus morbo composito laborauit: erant enim alia symptomata bilem, alia pituitam attestantia. bilem, excrementa biliosa, quæ prima statim die prodierunt, pituitam, sudores frigidi, & somnolentia. Confirmat etiam hanc sententiam vniuersalis constitutio: quippe ea propter temporis inconstantiam, & biliosos, & pituitosos affectus grassatos fuisse. Hippocrates narrauit.

Mihi quidem videtur ex vini potu posse corpus prætermodum incalescere, & febrem excitare, sic Galenus inter causas febris ebrietatem *G. 1. def. fer. feb. c. 2.* reponit. Nam potus vini, velut etiam aliæ causæ calefacientes, possunt faciliè febrem ephemeram excitare, quæ in corpore prauis humoribus re-ferto, degenerat in putridam. vt Galenus etiam fatetur. Cæterum ex ebrietate morbos frigidos ortum habere dicimus, nempe ex ebrietate as- *G. 8. meth. c. 7.* fidua: quoniam potandi consuetudo, quemadmodum etiam iurconandi, calorem naturalem, vt congeries lignorum ignem, opprimit. Et quis dubitat, homines gulæ deditos in hydropem tractu temporis incidere? quamuis autem, & hydrops ex morbis acutis fiat, teste Hippocrate in *Hip. 2. progn. 2.* prognosticis, & catarrhi ex intemperie cerebri calida, & alij multi morbi frigidi ex calore, cum hoc fiat per accidens, non tollit, vt calor per se calidos efficiat morbos. Ex vino itaq; calido, calidus fit morbus per se, ex eiusdem vini per as- fuetudinem potatione, morbi frigidi per acci- dens. Potuit Silenus febre ardente corripitur ex immoderato vini potu, in vna cæna possunt &

D 4 po-

potatores, longo potandi vsu, in epilepsias, paralyses, & reliquos morbos frigidos, à Galeno commemoratos, labi, possunt & ad apoplexiam disponi, vnde aphoniacum ebrium febre superueniente iuuari, dixit Hippocrates: quia scilicet à materia frigida, genita ob suffocationem caloris, aphonia, quam etiam apoplexiam dicere possumus, ortum habet. Itaque si causas, quæ per accidens agunt, consideremus, possunt etiam è contrario morbi calidi fieri à causa frigida e. g. quando humor crassus pituitosus, obstruens meatus, & caloris ventilationem impediens inflammationes internas v. g. pleuritides excitat. ideo in hyeme Hippocrates pleuritides, peripneumoniasque fieri dixit, non alia de causa nisi ob meatuum constipationem.

Tertia causa fuerunt intempestiue exercitationes, profectò idem de exercitio, quod de vino solet dici, possumus affirmare, quid enim exercitio in tempore, & mēsurā facto salubrius? quid rursus, si intempestiue fiat nocentius? sanitatis studium, inquit diuinus Hippocrates, non fatiari cibis, & impigrum esse ad labores, labores, inquam, tempestiue factos (laboris nomine exercitium intelligite) quos idem, quo tempore conueniant, demonstrat, inquiens, *labores cibos præcedant, & rursus labor, cibus, somnus, venus omnia mediocria*, innuens scilicet, quo ordine his uti oporteat, & laborem, siue exercitationem ante cibum conuenire, quod si præposterè fiat, hoc est, à cibo, intempestiue factum dicetur. Dicitur etiam exercitium intem-

pe-

H. 5. a-
ph. 5.H. 3. a-
ph. 23.H. 6. e-
pid. sect.
4. text.
22.

pestium ratione temporis, quo durare debet :
neque omnibus vna, & eadem conuenit norma.
Calidis omnino exercitium interdicit Hippo-
crates. Senib. non quidem vehemens exercitatio, *H. 6. e-*
sed nec penitus quies conuenit, vt Galenus vult. *pid. sec.*
Præterea alia hyemis, alia æstatis est exercitatio. *4. te 15.*
Silenus nec tempus, nec modum in exercitio ob- *G. 5. sa-*
feruans calorem præter naturam concepit, & *nit.*
subinde febrem. Vnaquæque ex his potuit fe- *tuend.*
brem excitare, omnes simul concurrentes, longe *C. 3.*
melius.

Potuit ne ex causis istis externis febris primò
esse ephimera, quæ postea ob corporis appara-
tum, in putridam degenerauit? Mercurialis ne-
gat: quoniam Hippocrates dixit *ignis corripuit*,
& per ignem non nisi acuta febris intelligitur.
Mihi aliter videtur: nam febris ephimera, licet
non sit periculosa, nihilominus ob spirituum, in
quibus accenditur, tenuitatem ingentem secum
habet flammam, non tamen valde mordacem, *Sicut*
nihil autem prohibet hanc intra paucas horas *Erasm.*
abire in putridam, nec in hoc est immorandum, *accidit*
vtpote quod nec ad prælagendum, nec ad cu- *infra*
randum quicquam facit. *egrot. 3.*

Corripuit eum ignis, hoc est, ardentissima fe-
bris non *πυρρός*, sed *πυρ* quam comitabantur
lumborum dolor, capitis grauitas, colli tensio,
& diarrhæa biliosa. Erat quidem affectus phleg-
monosus, nempe ex plenitudine, & cacochymia
compositus. Plenitudo indicabatur dolore lum-
borum, colli tensione, capitis grauitate: quip-
pe vena caua ascendens, & per lumbos, & cer-
uicem ad caput, cervicalibus, furculis, san-
gui-

guinem transmittens, adeò plena erat, vt dolores in his partibus, grauitatemq; efficeret. Cacochymia alui fluxu bilioso significatur: erat namque accensi, subinde prauis humoris index. Vt ex conditionibus, quas Hippocrates narrat, fit manifestum.

Ab aluo prima die -- In primis, quod prima die hæc deiectio incæperit, praua censenda est: nihil enim tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia hæc casus præternaturam earum, quæ in corpore sunt dispositionum, vt Galenus ait. Deinde quia erat biliosa: siquidem bilis ab excofacto sanguine fit, vnde biliosi excrementi copia, copiam excedentis caloris demonstrabat. Tertio quia mera, quippe (vt Galenus in porrheticis ait) non solum vomitiones syncere (quas Hippocrates ibi, & in prognosticis damnat) malæ sunt, verum quoque & deiectiones, & sputa, & vrinæ, & quiduis aliud. Nec vos deterreat idem, qui in commento historiæ, qui in Dealcis horto iacebat inquit *proprium vbi colorem quisq; humor, & formam retineat synceram, ibi eum dicimus merum edi*, non inquam vos deterreat, nam syncerum pluribus dicitur modis.

Erant præterea, quæ Silenus deiiciebat *spumosa*, quæ ebullitionem significabāt: quamvis enim Galenus spumam, tum propter frigiditatem, tum propter caliditatem fieri dicat, cuius rei signum affert tum ventos in aquis spumam concitantes, tum efferuescentem eam, quæ in lebece est caliditatem, nihilominus frigiditas spumam non concitat: nam venti, non quia frigidi sunt, sed quia maris aquam agitant, eam spumescere fa-

G. 4. aph.
22.

G. 2. porrh.
23.

G. 3. ep.

Gal. 1.
porrh.
com. 2.

faciunt: Vnde melius idem, aut agitationem humidi propter spiritum flatu sum contentum, aut ebullitionem à calore factam, spumæ causam statuit. Vt autem omnes causæ ad vnā reducantur, (quod quidem, quoties fieri potest, *G.2. pro-* semper ex arte est) siue sit agitatio in aqueo, & *gn. 20.* aereo; vt in mari furiosis ventis agitato, & in al- *7. a-* lisione vndarum ad scopulos, siue sit ebullitio *ph.30. 2. aph.* facta à calore, vt in lebetes aqua pleno, & in ligno viridi cum comburitur, proxima causa est attenuatio partium humidi aquosi, quæ dum in vapores conuersa egressum per crassiorem substantiam quarit, detinetur à substantia illa crassiore, suam integritatem retinere conante, & tenta frangitur in partes minimas. quod si substantia illa sit facile cedens, vt est aqua, facile exitum præbet, & cito spuma desinit. Si sit viscosa, & difficilius cedat, diutius vapores remoratur, & propterea spuma diutius durat. Itaque biliosa materia in corpore febriente aliquas partes attenuat, quæ exitum parant, & detinentur, ita ebulliunt, & spumescunt, & merito spuma dicitur ignei caloris soboles.

Hinc intelligetis sententiam quādam Hippocratis, siue autoris prorrheticon quicumque ille fuit *1. prorr.* deiectiones spumose, synceraque desinentes mor- *sect. 2.* bum exacerbant, dixit desinentes, hoc est, in morbi *tex. 15.* progressu, seu tractu temporis. dixit morbum exacerbant, hoc est, morbi exacerbationem significant. quod in hunc modum explico. Maiores bullæ in principio excitantur, quia tunc maior adest copia vaporum exitum sibi paratium, deinde tractu temporis, deficientibus vaporibus, minui-

minuitur spuma . Si igitur tractu temporis, cum spuma debuit minui, tunc denuo apparet, signum est exacerbationis, seu potius nouæ ebullitionis . Itaq; spumosa deiectione semper est malum signum, quia igneum calorem ebullitionis autorem significat, longè deterius in fine, quia tunc cessare debuerat ebullitio, & tātum abest, ut cesset, quin potius denuo apparet . In Sileno fuit in principio, & incendium magnum significauit .

Erant præterea abundè colorata signum adustionis, sed cum dixisset syncera, visus fuit dixisse abundè colorata, neque erat cur hoc adiungeret . Verum addidit, abundè colorata, ut declararet, quomodo syncera essent: nam si fuissent biliosa syncera primo modo, hoc est ex bile, nullo altero humore permixta, potuissent esse flaua, & suo sero diluta, cum ergo addat benè colorata, indicat, se loquutum de synceritate ob exhaustum ichorem.

Erant etiam multa, quæ multitudinem materię, magnitudinemq; ardoris materiam accumulantis significabant. Nonne erat bonum, multas esse: si quidem euacuationes diminutæ damnatur? Multitudo in euacuationibus symptomaticis magis asferre potest difficilem tolerantiam, quam conferentiam, neque enim hæc est ex his, quæ ab incendio liberant. Hoc eleganter scripsit Galenus in hunc modum, *in febribus admodum acutis, nihil mirum si pura bilis in corpore produciatur, siquidem, & adeps, & caro tenera, ac paulo ante concreta, sub huiusmodi febrib. tabescit, & sanguis adurit, concurrere autem hæc ad aluum, & intestina, cum tabent proprium est, ubi tantum uernose partes labo-*

G. lib. 2.
de artic.
60.23.

laborant cum ipsis enim vitatur, læditurque os ventriculi, quod maximè nervosum est, &c.

Biliofa porro excrementa bene colorata, & spumosa, siue excernantur, siue retineantur, pessima sunt. Retenta acerbissimi mos gignunt dolores, incendium fouent, anxietudines excitant, à quibus, neq; excretionē liberantur, ac præterea exeuntia partes, per quas transeunt, exulcerant: crebram exsurgendi necessitatem iniungunt, vnde somni interruptio, defatigatio, virium languor. Quod si flaua bilis æstu fluctuet in ventriculi tunicis, nec exitum habeat, tunc nausea, & anxietudo crescit, vehemens illius partis æstus molestat, fitque cardiogmos, & cardialgia, & aliquando etiam syncope.

Tandem, quod ultimo loco circa hanc biliosam diarrhæam aduertendum se offert, est, eam capisse præcedentibus lumborum doloribus. Lumbos appellant medici interstitium, quod est inter os sacrum, & dorsum quinque vertebris comprehensum, cui multæ adhaerent partes, quarum aliæ continent, vt muscoli spinæ, & spina ipsa, aliæ continentur, vt nerui, renes, vena caua, intestina, mesenterium. Cum igitur intestina inter lumborum partes comprehendantur, facile fuit humorem, qui in lumbis detentus, dolores excitabat, per intestina exitum suscepisse, & hoc prauum est ex prorrhetico, In biliosis, syncerisque deiectionibus spumosa efflorescentia mala, tum aliàs, tum ei, qui lumbis ante doluerit, atque eiusmodi deiectiones intestina permeant. Et hoc quidem merito est dictum: siquidem bilis sua mordacitate, & acrimonia effecit, vt

ad

ad intestina è lumbis permearit.

Verum dicet aliquis, si spumosa erat deiection, cur erat à lumbis, non autem à capite? Etenim

H. 7. a. Hippocratis sententia hæc est, quibus in alui pro-
ph. 30. fluuijs excrementa spumosa sunt, his ex capite defluit.

Auertere oportet, Hippocratem in aphorismo loqui de deiectione spumosa pituitosa, & hanc à capite fluxam esse credidit. Deinde hanc sententiam vniuersaliter acceptam non recipi à Galeno: siquidem, & à vasis in ventriculum exonerantur, & ab ipso ventriculo possunt spumosa educi. Ego quidem mihi, persuadeo, in quacunq; corporis parte posse feruentissimam bilem ebullitione! spumas concitare, nec Hippocratem aliter sentire, sed solum voluit pituitosos fluxus, si spumosi sint, à capite descendere: quippe in pituita non fit ebullitio ab igneo calore, vt in bile, sed fit à flatu, qui agitatione concitatur, agitatio autem contingit in longo itinere à capite ad intestina.

Existimabit tamen aliquis, pituitosas etiam deiectiones in acutis febribus fieri spumosas, ex sententia autoris prorrheticon, quæ sic habet.

1. porr. In acutis biliosis, albicantes, spumosa, & picrocholæ
sect. 2. deiectiones malæ, quibus verbis videtur insinuari
tex. 18. albicantes deiectiones, hoc est pituitosas, fieri

spumosas in acutis febribus, quod non fieret, nisi pituita concepto ardore ebulliret. Videtur igitur, etiam pituitosum excrementum, ebullitione facta à calore, spumescere, Verum non ita est: nam calor, qui spumas ebullitione concitat, si pituitam arriperet, eam omnino in alium humorem permutaret. Prædicta au-

tem

tem sententia Galeno videtur suspecta, aut saltem correctione digna: quippe si albicans est materia, quomodo simul picrochola, hoc est biliosa? Putat ergo, vel legendum adiecta negatione *non picrochola*, vel omittenda dictione *picrochola*, vel intelligendum vno tempore *albicantia* alio *picrochola*, vel si tempore vno scerni vtraque quis asserere voluerit, albicantia quidem tum constantium, tum duorum excrementorum colorem indicabunt. picrochola vero ea, quæ circa ipsa sunt, bilem substantia tenuem habere: consueuerunt autem tales excretiones *πικρὸν*, idest circiter coloratas appellare.

Atque hæc de diagnosi, & prognosi diarrhæ, quæ simul cum febre Silenum inuasit, quam ego, non fuisse accidens consequens ad febrem, neque febrem fuisse istius diarrhæ accidens, sed vtrumque ab vno tertio existimo. Nam quoniam, ob præteritæ vitæ errores, multam bilem coaceruauit, huius pars quædam intra venas ebulliens, ardentem, hoc est tertianam continuam excitauit, pars altera, ad intestina transfusa, ventris fluxum effecit. Miror tamen, non transiisse diarrhæam hanc in dysenteriam, mordicante, & ulcerante intestina bile præ nimia acrimonia.

Vrina nigræ nigram subdentiā habentes -- Omnia hæc: nempe vrinæ, & sedimenti nigredo, sitis, linguæ ariditas, & peruigilium, statim in principio signa erant magni incendij in humore bilioso, prius, ob vitæ errores accumulato: sitis & peruigilium, & ficcitas à caliditate sunt: sitis exhausto humore in ore ventriculi, quod malum

lin.

linguæ cōtinuatur, quia eadē est tunica, quæ linguam, & quæ ventriculum vestit; nempe ventriculum interius, exterius vero linguam, perugi-
lium, quoniam ex humore adulto vapores ad caput eleuati, mordacitatis participes erant.

Secunda die febris acuta -- Non quod prima die non fuerit acuta, sed quod secūda apparuit acutior. Multoties Hippocrates in prognosticis ait *in morbis acutis*, sed cur ita, si in prognosticis solum de morbis acutis agit? nempe, quando addit *in acutis*, intelligit *in acutioribus*. Persenerunt hac secunda die vrinæ nigredo, creuit alui fluxus, cuius materia facta fuit tenuior, apparuit de nouo principium delirij. Secessus fuerunt plures, & tenuiores. possumus dicere fuisse plures, quia tenuiores: erant tenuiores, concurrentibus è venoso genere in ventrem, & intestina, fufis, liquatisque humoribus, & ideo plures erant, plures, inquam, tum quantitate, tum numero, quantitas confluxu liquatæ materiæ augebatur, numerus, ob frequentiam deijcendi, frequentia, ob materiæ acrimoniam, acrimonia à calore liquante, vt Hippocrates voluit. Si quærat, cur materia tenuis non exibat potius per vrinam, cum tamen Galenus in colligationibus, id quod tenue est, à renibus trahi, & per vrinam excerni, dixerit? An quia secessus isti tenuiores quidem erant, quàm reliqui præcedentes, non tamen adhuc adeo liquidi, vt à renibus traherentur? An quia natura alui fluxu assueta, & valde perturbata, non potuit aliam viam quærere, quam si suscepisset, optimum foret, multis namque ex tempestate contigit
sana-

*Hip. de
vitt. a-
cut. tex.
112.
Gal. 3.
sympt.
caus. 6. 2.*

Sanari à dysenterijs, ob superuenientem stranguriosum vrinae confluxum, quod Hippocrates narravit.

Nox fuit molesta, infomnis, cum aliquo delirio. Peruigilium, & delirium biliosi humoris ad caput raptum significabat, simul autem deiectiones augeri, naturam valde molestari, signum erat: quippe sursum, & deorsum duobus contrarijs motibus agitabatur.

Tertia omnia exacerbata sunt -- Respondebant per impares exacerbationes, & hoc, vt diximus, melius erat, quam per pares. cæterum, vnum tamen exiguum bonum inter multa magna mala, quid proficeret? In hac exacerbatione nouum quidpiam apparuit, præcordij distentio, vtrinque ob longa ad vmbilicum sub mollis, hoc est, sub vacua, erat tensio in præcordio, scilicet in hypochondrio, sine tumore, quia inflammationem septum transversum patiebatur, inde per continuitatem sursum trahebatur hypochondrium. Mercurialis inflammationem fuisse negat, quia non dolebat, potuit tamen dolor, hoc est, doloris causa, adesse, & æger dolorem non sentire, quia mente ægrotabat; erat quippe delirus. Sed instabitis, dolori septi transversi respirationem frequentem deberi, sed iste ægrotus, (vt in fine historiæ additur) toto morbi decursu respirationem magnam, & raram habuit. Habuit quidem: quia præualebat delirium. Iam in Philisco dixi, in dolore cum delirio, si dolor præualet, respirationem esse crebram, si delirium, raram.

Adiungit Mercurialis, risum fuisse cum cantu.

E

& hi-

& hilaritate, quare pertinebat ad animum, neq; potuisse fieri ex sola titillatione septi transuersi: neque enim in alijs febribus ardentibus, in quibus datur idem ardor, contingit idem risus. Sed debuerat animaduvertere, non in omni febre ardente adesse septi transuersi inflammationem, aderat in hac, ac proinde tumor præternaturam habens secum aliquantulam continui solutionem, ad quam sequebatur risus, vt nos docet historia narrata à Galeno militis, qui vulnus accipit penetrans vsque ad septum transuersum. Et quamuis militis risus fuit tumultuosus, Sileni vero cum hilaritate, nihil refert, nam miles ex vulnere, hoc est, ex magna continui solutione dolebat, & simul, ratione partis vulneratæ risus aderat, risus autem simul cum dolore tumultuosus erat. Exigua vero solutio continui in Sileno satis erat ad excitandum risum, non vero ad tantum concitandum dolorem, quantus redderet risum tumultuosum.

Interrogabitis vnde nam Sileno hilaritas? nempe ex risu: quemadmodum enim risus oritur ex lætitia, sic lætitia ex risu: quippe risus expansio quædam est, expansione spiritus dilatantur, & animus fit hilaris. Experimento etiam constat, fieri ex risu lætitiā, plorantes pueros ad risum compellimus, & subinde à planctu auertimus.

Sed dicat nunc aliquis pro Mercuriali inter tot praua signa prauam cacochymiam attestantia, potuit ne adesse signum attestans benignitatem sanguinis? at si risus iste erat desipientia, cum risu, securior erat alijs desipientijs, ex decreto

creto Hippocratis, non ob aliā causam, nisi quia *H. 6. e. ph. 53.*
 desipientia cum risu ex bono fit sanguine. At si
 humor erat mitis risum faciens, eius vapores mi-
 tes debuissent esse; ac proinde magis ad conci-
 liandum somnum, quam ad inducendam vigiliam
 aptus; & tamen Silenus non dormiebat. Tandem
 deiectiones adusta, urinae subnigrae melancholi-
 cum humorem præferrebant, cuius comites sunt
 metus, & mæstitia; magis ergo conueniens erat
 huic aegrotō, ex parte humoris prædominantis,
 mæror, quam hilaritas; fuit ergo hilaritas ex spi-
 rituum expansione. ideo dicitur David, in tri-
 bulatione dilatasti mihi, nempe, cor, & spiritus.
 hoc est latum, consolatum me fecisti, fuit, in-
 quam, hilaritas ex spirituum expansione, ex-
 pansionis ex risu, nam quemadmodum planctu
 constrictio, sic risu fit dilatatio.

Risu excipi debet Mercurialis inueniens, cau-
 sam huius risus calorem moderatum, fuisse. At
 ubi nam habebat Silenus istum calorem mode-
 ratum, qui toto corpore vehementissimum pa-
 tiebatur febrile incendium? Concludo risum esse
 actionem, si ergo erat verus risus Sileni, cur, ait
 Hippocrates *continere se non poterat*; Scio Val-
 lesium in controuersiis dixisse, risum esse ex ijs,
 quæ, quamuis liberè fiant, nequeunt tamen om-
 nino cohiberi, sicut de respiratione oportet di-
 cere. Ita esto, risus omnino cohiberi nequit, sed
 aliqua ex parte potest supprimi, quemadmodū
 respiratio, quam cohibere non possumus, maio-
 rem, aut minorem facere possumus. Caterum
 verba Hippocratis *continere se non poterat* indicat,
 illum non potuisse aliquo modo risum modera-

re, maxime quia aderat mentis impotentia.

Quarta per eadem -- Quarta dies est index septimæ, nihil ad bonum contigit in quarta, non fiet ergo bona crisis in septima, nec mala, tum, quia nihil etiam nouum, ad malum habuit, tum quia septima dies Rex appellatur, in qua scilicet iudicantur ij morbi, qui ad bonum iudicari debent. Cæterum quoniam quarta hæc dies omnia praua habuit, quæ tres præcedentes dies habuerunt, nullam medico benè augurandi occasionem præstabat.

Quinta secessus biliosi, meri, læues, pingues -- Deiectiones biliosas, & synceras fuisse, nihil notum attulit: nam tales prius etiam fuerant: læues, & pingues manifestam ostendunt colliquationem. Omnis autem colliquatio mala est, non tamen omnis pariter mala, sed quædam alijs deterior, quod oportet medicum, accuratè discernere. Duo aderant colliquationis in deiectionibus signa læuitas, & pinguedo, deterius signum erat læuitas, quam pinguedo, nam pinguis deiectio, sola pinguedine colliquata potest fieri, vt Galenus inquit, pinguedinis autem liquatio lethalis non est, dicente Galeno, deiectiones pingues, prauas quidem esse, non tamen lethales prorsus: nam calor, qui carnes colliquat feruentissimus est, moderatior, qui pinguedinem. Et alibi pinguedinem absumi, dixit ab igneo calore, non tamen vehementer maligno. At verò deiectio læuis, non nisi a magna sit consumptione, sicut enim læuitas in bonis optima est, sic in malis pessima: læue (vt inquit Galenus) redditur quic-

G. 7. a-
ph. 53.
G. 2. pro
gn. 22.
G. 3. e-
pid. se. 3.
agr. 1.
G. 2. pro-
gn. 21.

quicquid de corpore excernitur, aut quod ha- *G. ibid.*
beat æqualem coctionem, vt nulla eius pars effu-
gerit naturæ alterationem, aut propter vehe-
mentem consumptionem, vt nulla materiæ pars
imperpeffa superfit. Vt igitur, quicquid salubre
est, id omne salubrius redditur, quoties æquale
fit, ita quicquid malum est, id omne euadit de-
terius si æquale existat. Vtrunque enim per
omnem materiam apparet, quæ aut naturæ
comptum recepit, aut turpitudinem prauit-
ratis.

Vrinae tenues pellucidæ. -- Fuerant vrinae nigrae,
& turbidae, facta fuerunt *tenues pellucidæ*, pote-
rant esse signum delirij, at iam antea delirabat,
poterant auctum delirium significare: quippe
humor ad cerebrum raptus, non iam vrinas tin-
gebat. At Sileno delirium non fuit auctum, imo
potius tunc resipuit. Relinquo Montanum, qui
ineptissimam affert rationem. Videlicet non de-
lirasse, quia non ascendebant iam vapores ad
caput, non ascendebant autem, quia deerat agi-
tatio: quoniam natura præ debilitate cessabat à
pugna. Ceterum non erat ita morti proximus
Silenus, vt naturæ pugnam defereret: etenim po-
stea, & deliria, & alia accidentia superuenerunt,
quæ naturæ pugnam indicabant, & cum his per-
fex adhuc dies superuixit.

Vallesius, cum bilis, ait, atq; adeo maligna
omnia excrementa, per debilitatem facultatis,
& malo in deterius eunte, sursum reperent, ta-
men ab inflammatione hypochondrij in media
via intercipientur, proinde apparere ceperunt
vrinae perspicuae, & homo nihilominus mente

constitit. Tamen aucto magnopere malo, quod obsidebat hypochondria, omnia lethalia signa ab ea die magnopere sunt aucta, & mortuus esset celerrimè, nisi quædam exanthemata, varis similia oborta, liberare tamen non valentia, mortem retardassent.

Quamadmodum Vallesius exanthematibus acceptum refert, quod æger vitam per aliquot dies prorogauerit, ita Mercurialis eisdem attribuit, quod non delirauerit: quia materia per vias non expurgata, ad cutem, non ad caput se contulit, neque recipit materiæ interceptionem à Vallesio allatam: nam si hoc fuisset equum erat, ut incendium magis in ipsis hypochondrijs perciperetur, quod tamen minimè narratur in sexta die contigisse. Decipitur tamen Mercurialis: nam sexta die febrem fuisse acutam, inquit Hippocrates, non quod in præcedentibus diebus acuta non fuerit, sed ad significandum acutiei augmentum. Deinde eadem sexta die iactatio fuit multa, iactatio autem magnum æstus significat; qui ex hypochondrijs ortum habebat, siquidem ibi minerà mali latebat. Quicquid ergo dicat Mercurialis, præstat Vallesij conjecturæ adharere, quam cum eo resipiscentiam quintæ diei tribuere exanthematibus, quæ octaua apparuerunt.

Sexta circa caput parum sudauit. — Sudor iste duobus nominibus præus erat, tum quia non vniversalis, tum quia circa caput membrum princeps: nam ubi sudor, ibi morbus accedit etiam, quod comitem habebat extremorum frigiditatem, atque liuorem, iactationem multam.

tam, & alui vrinaeque suppressionem. suppressio tum excrementorum, tum vrinae non fuit, vt multi putant, ob debilitatem expultricis; nam, si ita foret, non daretur regressus in homine ad interitum tendente, ille tamen postea, & ab aluo excreuit, & minxit. Fuit ergo causa istius suppressionis ingens hepatis, renumque calor, qui sua siccitate faeces humiditatem fugit, & ad exitum faeces renitentes facit, praeterea idem calor, ad se trahens, non finit excrementa aliorum diuerti, tandem cum deliraret (delirauit enim per totum morbum, quod testatur spiritus semper magnus, & rarus, licet per aliquod interuallum exiguum resipuit) delirantes autem faeces reddere obliuiscuntur.

Septima die voce destitutus est. Factus fuit *aphos*, hoc est, voce destitutus, non *ad aud* e, hoc est, mutus. Aphonia fit vitiatis vel instrumentis proximis, vel remotis. remota instrumenta sunt omnia inspiratoria, haec erant sana, quippe spiritus erat magnus, qualis, pro voce edenda, est necessarius, fuit ergo vitium in instrumentis proximis, hoc est, in nervis recurrentibus, ad quos potuit fieri aliqua non levis fluxio pituitosa: quamuis enim in venoso genere bilis abundabat, quae ardentis febris erat causa, nihilominus in cerebro non deerat pituitosus succus, cuius signum fuit somnolentia, non valde post, sequuta, denique septima dies pestilentium more, praua fuit, quippe haec febres in decretorijs deteriores fiunt, nempe certamine semper in malum terminante.

Octaua sudauit frigidum per totum. Fuit ne minus

nus prauus sudor iste, quia vniuersalis, quā prior particularis in capite? conditio boni sudoris est, vt sit vniuersalis, quod ita intelligatis velim, vt si sudor bonus sit, hoc est calidus, vniuersalis sit melior particulari, sin prauus, nempe frigidus, quo plures occupat partes, eò est deterior.

Papula cum sudore rubra – Rubra minus male erant, quā liuida, aut nigra, nisi adessent alia grauitatem morbi significantia, ceterum aderat adhuc sanguis tenuis ruber, qui velut in auram conuersus, & per cutem dispersus, quasi in guttulas rotundas conuertebatur, quamuis eodem tempore, iam ex frigiditate liuor crassiorē sanguinem deturparet. Erant parua, iudicantes tenuitatem materiae, quo enim tenuior est, eo in minuitiores diuiditur maculas. Erant sicut vari; sunt autem vari græcè *ισθες* tubercula, quā in facie solent apparere. Non dicit Hippocrates, apparuisse has papulas, sed *permanebant*, vnde occasionem arripiūt aliqui existimandi, eas iam prioribus diebus apparuisse, & hac octaua die permanisse. Verumtamen Hippocrates diligens narrator, & vigilans persecutor non omisisset diem, quo primum apparuerunt neq; hoc pretermisisset. ait igitur *permanebant, non abscedebant*. hoc est, papulae tunc apparentes non euanescebant, sed permanebant.

Non desunt qui dicant *non abscedebant* fuisse dictum, hoc est, non transibāt in abscessus, quod si ita accipiatis, vana remanet opinio Vallesij, qui existimat, has papulas fuisse variolas: vana, inquam est hæc opinio, quia variolæ *suppurantur*, præterea non solent variolæ (vt bene
ad-

aduertit Mercurialis) ad octauam diem apparitionem referuare, sed tertia, aut, ad summum quarta apparent. Posset aliquis dicere, fuisse morbillos, ceterum nec aderat tussis, nec frequens sternutatio, nec oculorum rubedo, quæ morbillos semper comitantur. Alij fuisse suspicantur punctulas, quæ nostro hoc æuo febrium malignarum sunt comites, & ex hac, & alijs Hippocratis historijs sibi persuadēt, has punctulas non esse morbum nouum veteribus incognitū.

Ab alio vero cum parua irritatione -- Sulpicor, paruam irritationem fuisse factam, subdita glāde, vt & Philisco; neq; enim auderet Hippocrates aliquid violentius in statu illo tentare. Magnæ autem adustionis signum fuit mordacitas tum fæcum, tum vrinarum, siquidem vtroque probabant excreta cum dolore ob acrimoniam humoris, qui cum excrementis permiscebatur.

Erant stercorea tenuia, *vel inconcocta* recte dicitur *velut*, nam tenuitas illa erat, qualis solet in cruditatibus esse, non tamen tunc hæc erat causa, sed quam diximus, nempe, colliquatio, quæ vterius semper progrediebatur, adeo vt iam sub finem subsidentia vrinarum esset farinacea, quam diximus omnium esse pessimam, quia iam partes solidæ à perseverante maligno calore consumptæ erant.

Extremities parum recalescebat -- Aliqua videbitis nunc, quæ medicum posset seducere, vt existimaret, morbum in melius pergere, nempe recalescebant aliquantulum extremities, quod non dubiū est esse bonum signum, quippe frigiditas nō recalescens fit ob extinctionem; deinde
etiam

etiam somni, licet tenues, & soporosi, meliores sunt quam vigilia, quæ præerat, & iactatio, & delirium.

Præterea vox intercepta melior erat, quam quæ antea fuit omnino ablata, urinae tenues, & pellucidae, meliores quam crassæ nigrae. Cæterum dum aliquis inani spe detinetur, videtur urinam acervatim mictam cum farinaceo sedimento, extremitates frigidas, ad quas mors sequuta fuit. Vnde nam illud morbi in melius vergentis specimen? placet mihi Cardani responsio, nempe in lethalibus morbis dari etiam aliquam quietem, tum ob horas diei, semper enim matutina hora ægrotantibus est favorabilis, tum ob motum materiae, quæ aliquando accipit viam in qua minus molestat, licet in ea non perseveret, tum ob astrorum dispositionem: certissimum namque est corpora nostra supernis lationibus esse obnoxia, tum ob comparationes causarum, ut si compararetur exacerbatio huius horæ cum exacerbatione hesternæ diei in eadem hora, itaque quicquid boni tunc accessit, homini iam mortuo accessisse putandum est, nam Galenus ait, Silenum moriturum fuisse septima die, quæ aphoniacus fuit factus, quod autem ad undecimum perduraverit, tribuendum est virium robori, quo erat præditus, ob ætatis florem; agebat enim annum vigesimum circiter. Mortuus fuit die undecimo, cui decernendi, sed magis præcipue indicandi vis inest. Habuit semper spiritum magnum, & raram, & hypochondrij palpitationem ab inflammatione ortam: quippe inflammatio, ubi arteria

teria

SECUNDVS. 75

teria adest, dolorem efficit pulsatilem, vt G. 2. loc.
 est Galeni sententia, arteria autem affect. 1.
 dorsalis non procul ab eo 3.
 loco aberat.
 (..)



ÆGRO-

ÆGROTUS TERTIVS.

HEROPHONTI febris acuta. Ab aluo pauca ab initio velut in tenesmo: postea vero tenuia prodibant biliosa, frequentiora, somni non aderant. Urina nigra tenuis. Quinta mane surditas. Exacerbata sunt omnia. Splen eleuatus est. Præcordij distentio. Ab aluo pauca nigra prodierunt, delirauit: Sexta delirabat: ad noctem sudor, frigiditas, delirus permanebat, septima perfrigerabatur: siticulosus delirabat, noctu resipiscebatur, obdormiuit. Octaua febricitauit, splen minuebatur, intelligebat omnia: doluit iuxta inguen, tumor partium edirecto splenis, deinde dolebat utraque tibia: nox tolerabilis. Urinae coloris melioris parvam subsidentiam habebant. Nona sudauit, indicatus est morbus. Intermisit. Quinta reuersus est. Statim autem splen eleuatus est, febris acuta, surditas rursus. post recidiuam tertia die splen minuebatur, surditas minor erat, crura dolebant, noctu sudauit. Indicatus est die septimadecima. Neque delirauit in recidua.

Herophonti Febris acuta-- Si primam partem huius ægitudinis consideratis, non minus periculosa habuit signa, & symptomata, quam priores, & tamen illi perierunt, iste euasit. Verum Philisco morbus per pares mouebatur, nec potuit, celestes influxus, inferiorib. causis fauentes, habere, neque crisim potentem. Iste autem per

im-

impares mouebatur, ac proinde in diebus, magnam vim iudicandi habentibus, potuit se se exonerare à morbi sarcina. Silenus habuit plures vitæ errores, à quibus multitudo humoris cumulata fuit tanta, quantam natura non potuit superare, de isto similes errores non narrantur. Fuit eius febris acuta, & mali moris, neque enim possumus, non suspicari malignitatem, ubi statim in principio apparuit prauum signum in vrina, prauum symptoma, tum in actionibus lassis, qualis est vigilia, quæ modum excedebat, ac proinde erat mala: dicente Hippocrate *somnus, atque vigilia utraque si modum* *H. 2. a-*
exceserint, malum, tum in excretis: Fuerunt *ph. 3.*
namque primum pauca, vt in tenesmo, postea tenuia, biliosa, frequentiora.

Velut in tenesmo -- Non dicit tenesmo laborasse, sed excreta fuisse velut in tenesmo. Et hoc aduertite, quia postea adiungit, sequuta fuisse, biliosa frequentiora. Si prius fuisset tenesmus, non sequerentur frequentiora. nam nulla frequentior deiectio est, quam quæ fit in tenesmo: quippe tenesmus est frequens, immo continua deiciendi cupiditas. duo concurrunt in tenesmo, vlceratio recti intestini, & excretio viscosa, pituitosa, cruenta. habuit hanc excretionem, sed non habuit vlcerationem, quippe citò in diarrhæam mutatio facta fuit, non autem in dysenteriam, in quam tenesmum transire dixit Hippocrates, dicendum ergo Herophontem *Hipp. li.*
habuisse tenesmum, quem Arabes appellant, *1. de*
non verum. Hoc tamen explicatione indiget, pro *morb. in*
vt in meis exercitationibus medicis reperietis. *princip.*

Hipp. 2. 32. *Vrina nigra tenues*-- Quoniam Hippocrates in prognosticis, inter exitiosas vrinas, reponit nigras, & crassas, accipiunt nonnulli has duas conditiones simul, & dicunt nigras, & simul crassas esse deteriores nigris tenuibus. Et ita Herophontem istum dicunt è morbo euasisse, cuius vrinæ erant nigræ tenues, non euasisset, si fuissent nigræ crassæ, sic etiam in Abderis Herophytus, & Nicodemus, qui vrinas nigras tenues minxerunt, saluati sunt. Verum tamen isti decipiuntur: nam si ex euentu est iudicandum, etiā mulier, quæ apud frigidam aquam in Thaso habitabat, vrinas perpetuò tenues nigras minxit, & tamen octogesimo obiit. Si ad rationem respicere debemus, tenues duplici nomine sunt prauæ; tum tenuitate, summam cruditatem indicante, tum nigredine, quæ vel ob summam frigiditatem fit, vel ob summum ardorem, deinde in morbis longis, vt in quartanarijs circuitibus in lienis, & renum morbis, vrinæ nigræ min-guntur, & crassæ, expurgante se per eas natura à melancholico succo. Similiter mulier morosa, quæ cum vrina nigra liberata est, copiosè descendentibus menstruis, consentaneum est, nigras crassas habuisse vrinas. Herophytus, & Nicodemus in Abderis nigras minxerunt vrinas, de crassitie, aut tenuitate non constat. Galenus nigras vrinas in opere de Crisibus damnat absolute, neque tenuitatem, neque crassitiam adiungit.

Aet. 1. 2. 44. *Auic. 2. 4. tr. 1. 6. 82.* Habuit vrinas tenues, vt habuerunt alij, quos dixi, & hinc arguuntur Aetius, & Auicenna, qui vrinam nigram tenuem non agnouerunt, quippe existimarunt, non aliter vrinam posse nigrā fieri.

fieri, quam permixtione melancholici humoris, qui, cum crassus sit, necessario urinam suam corpulentia increpabit. Verum debuerant animadvertere, posse a qualibet minima portione atre-
bilis urinam tingi, ita ut sufficiat ad denigrandum, non autem ad increpandum. Si vero dicatis cum Galeno deiectionem, si pauca atra-
bile misceatur, non nigram, sed liuidam fieri, id in deiectione admittam, in urina negabo: quippe urina fusio quædam est, & liquor, qui facile a substantia tingente penetratur, deiectione ob crassitatem inepta est ad suscipiendam tincturam. Sed cur datur nigra urina tenuis; rubra autem non nisi crassa reperitur, quamvis sanguis tenuior sit humore melancholico? An quia color, quo intensior est, eò magis tingit, quo remissior minus. niger color intensissimus est, ut pote in extremo constitutus: ideo nigri humoris quælibet portio sufficit ad nigram reddendam urinam, rubri non sufficit?

Propter hanc urinam, existimat Galenus Herophontem præter spem evasisse: quoniam ipse neminem cum hac urina saluatum vidisse, contigit. Miror illum, neminem cum urina nigra sanatum vidisse, cum tamen non sit omnino rarum: nam præter historias Hippocratis, in quibus multos cum hac urina saluatos legimus, medicis medicinam facientibus hic casus multoties occurrit, & mihi pluries occurrisse plena fide testari possum.

Quinta mane surditas. Existimat Mercurialis Hippocratem ea, quæ primis quatuor diebus contigerunt, confuse enarrasse, quoniam ex alio-

aliorum narratione loquitur, & quintâ die fuisse vocatum: nihil tamen prohibet, omnia à prima ad quintam diem fuisse similia, propterea omisisse diariam primorum quatuor dierum narrationem. Tamen quintæ dici exacerbatio, tertiæ exacerbationem supponere videtur: biliosa erat febris, de tertio in tertium mouebatur. Cæterum exacerbatio quintæ, videtur fuisse valde maior, quam tertiæ, ideo dixit *exacerbata sunt omnia*.

H. 4. a
ph. 28.

Surditas adfuit, à qua non potuit illum vindicare, alui fluxus biliosus, imò si rectè Hippocratis aphorismum consideratis, meritò surditas accessit, inquit Hippocrates *quibus biliosa deiectiones, superveniente surditate, cessant, & quibus surditas, supervenientibus biliosis deiectionibus, cessat*: si igitur biliosæ deiectiones subsequerentur, liberarent à surditate, sed quia præcesserunt, & cessarunt, consentaneum fuit, supervenisse surditatem. Cessavit autem alui fluxus biliosus: siquidem prius ab aluo prodibant *tenuia biliosa frequentiora*. In hac verò quinta die, quando surditas accessit, ab aluo pauca nigra prodierunt. Metastasis prava fuit ista ab infernis, & ignobilibus membris, hoc est, ab intestinis ad superna, & nobilia, hoc est, ad cerebrum, & subindè ad auditorios meatus.

Fuit etiam in hac quinta die splenis eleuatio, & præcordij distentio. Hæc rursus altera metastasis laudabilior à capite ad lienem, concurrente namque humore ad sinistram partem lienis intumuit, ut abscessus dici possit, ob hunc tumorem distendebatur præcordium, siue hypo-

chond-

drium. Et quamvis, quoties Hippocrates dicit hypochondrium, nec addit dextrum, aut finistrum, debemus dextrum, tamquam dignius, intelligere, nihilominus in praesente, quoniam lienis tumori adiungit tensionem hypochondrij, ratio postulat, ut finistrum intelligamus. Cum hoc tumore duo contigerunt, utrumque valde timendum; unum est delirium, nam descendente humore ad hypochondrium, cum cerebrum debuilset immune remanere, tunc delirium capisset, quid potuit magis praeter rationem evenire? alterum excretio pauca, & nigra: haec, quia pauca, non poterat proficua esse; quia vero nigra; lethalis videbatur, dicente Hippocrate in aphorismis. *Morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis, vel sursum, vel deorsum exierit lethale.* Neque vero solam damnat atra bilis deiectionem, sed etiam in praecedente, & subsequente aphorismo, omnem deiectionem nigram, siue cum febre, siue sine febre. Triplex enim est humor niger, quidam est fex, quae in sanguinis generatione subsidet, cuius magna pars fertur ad lienem, ad ipsius nutritionem, & alios usus. Alius est sanguis, qui deiectus per mesaraicas ad intestina, ibidem concresci, & denigratur. Tertius ex ulteriori adustione, sanguinis, aut, aut bilis, & haec est deterrima species, non concrecit, splendet, saporem, & odorem refert aceti, cadens in terram fermentatur, muscas, & mures abigit, neque enim praeter amaritudinem audent illum gustare. Omnes autem istae tres species, si deiciantur, praevalent, signum sunt, quippe debilitatem naturae nequeuntis materiam retinere,

H. 4. a-
ph. 22.

-1011

F

do-

donec eam corrigat, significant. tum etiam quoniam fæces nigrae, nigrum humorem syncerum ostendunt, syncerus autem humor, ut iam diximus, prauus est. Itaque quamuis omnis nigra deiectione praua sit, præcipue initio morbi; tunc enim nihil excernitur naturæ ratione, sed veluti casus eorum, quæ præternaturam in corpore fiunt, nihilominus, non omnis est æqualiter mala. Exactam atram bilem semper lethaliter excerni, Galenus ait, & in pestilentia quæ eo tempore, quo libellum de atra bile scripsit, fuit peruagata, non paucos ægrotos seruatos videt nona die, vel septima, vel vndecima, qui humorem excernebant, vel proximè ad atram bilem accedentem, vel ne mordicationem quidem, nec fædum odorem habentem, vel in medio horum consistentem, qui verò puram, exactamque atram bilem deiecerunt, omnes perierunt. Erat deiectione Herophontis nigra, non tamen ob tincturam exactæ atræ bilis, sed ob aliquam ex alijs humoribus, alioquin non euassisset: siquidem Hippocrates de atra bile exacta videtur loqui, cum eam valde lethalem, & postridie, interimentem esse dicit.

Sexta delirabat, ad noctem sudor, frigiditas delirus permanebat -- Adhuc praua erant symptomata; sudor & frigiditas frigidum sudorem esse significant: nam si esset sudor, qui habitum corporis refrigeraret, fieret cum conferentia, at iste non solum nihil conferebat, sed potius comitem habebat delirium. Quamuis autem sudor soleat febres iudicare, nihilominus decretoria ne statim appareant, inquit diuinus Hippocrates, erat mor-

morbus adhuc in principio, neque coctionis vlla signa aderant, delirium admodum, perseverans, læsum cerebrum significabat.

Septima-- Diei septimæ in ingressu, adhuc poterat medicum perterrere, sub finem cæperunt signa fausta, veluti nautis in procella, apparere. Fuit principium cum refrigeratione, siti, & delirio, sub finem resipuit, & dormiuit. Verum, cum Hippocrates nullam narret præcedentem ab arte factam euacuationem, nec à natura copiosam, nulla fuit præcedens in vrinis visa coctio, non oportebat fidem habere, huic bono, quod præter rationem videbatur. Et solum poterat in eo prædesse, quòd morbus saltem inducias præberet, neque curreret furiosus; expectandum tamen erat, nec aliquid pronuncian- dum, donec æger à morbo expergefactus ostenderet, num somnus ille laborem fecerit, an potius delirium sedauerit, quod iam ante somnum sedatum videbatur.

Octava febricitauit-- Et quamvis dicat *febricitauit*, quod indicat febrem fuisse acutam, ego in alio sensu id accipio, nempe, quasi dicat, octava die; quamvis minuta sunt omnia, febris tamen perseverabat. Nec mirum perseverasse febrem, cum nulla euacuatione materia febrilis fuisset minor reddita, quamvis iam diuertebatur optimo naturæ consilio, hoc est *κατὰ τὴν* secundum rectitudinem; siquidem de crescente splenis tumore; inguen sinistrum, quod est splenis emunctorium, intumuit. Et iam, crescente diuersione, non solum ad inguen, sed ad crura demandabatur. Sed cur ad vtraque crura? nonne satis fuisset

F 2 OC-

occupare crus sinistrum? nempe materia ex vena descendente, cum deorsum detruderetur, ad ambas tibias detrudi debuit: quippe vena hæc bifurcatur, & ad utrasque tibias communitas est vasorum. Sed dicetis, quid habet vena caua, cum liene, ad quem non caua vena, sed porta defertur. Nimirum ex iecore ad lienem transmittebatur succus melancholicus, quo lien intumescebat. lien exoneravit se in inguen sinistrum, hepar diuertit materiam per cauam descendentem ad crura, & ita lien minui cepit propter materiam ad inguen demandatam, nec iterum creuit, propter diuersionem factam à membro mandante, hoc est à iecore, ad crura. Ex hac transmissione sequuta fuit *nox tolerabilis*, quia natura aliquantulum recreabatur, quasi deposita sarcina.

Prima melioris coloris paruum subsidium habebant -- Magnum documentum, quo docemur, quanti facienda sit in morbis materialibus coctio humoris, quam Hippocrates ait, duo bona significare, primum securitatem, alterum breuitatem. Hæc duo præstò sequuta sunt. Quippe ex tot dierum, nempe, septem præcedentium pugna, cepit in octaua victoriæ signum apparere; coctio enim est victoria naturæ supra causam morbificam.

Nona sudavit, indicatus est morbus -- Sequuta est conueniens expulsio, nempe, per sudorem; quippe melancholicus succus in hoc egro abundabat, quem Hippocrates aquam appellat, quia scilicet melancholici multo ichore in sanguine abundant, cur autem melancholici magis quam

*Hip. de
morb. 4.
& lib. de
genit.*

quàm alij, ichorosi sint, rationem esse puto, quia melancholia est fæx sanguinis à calore genita, ut igitur abundat calor terreas partes adurens, ita idemmet calor humidas liquat. Ceterum cum parua subsidencia in Herophonte, non multam materiam concoctam esse indicabat, ita sudorem putò sublequutum, non valde copiosum; sudor enim, non nisi per aliquot dies continuatus, sufficiens est ad perfectè iudicandos morbos, quod quidam Noeticus adnotavit ad verba illius sententiæ *sudores febricitanti si inceperint*, dictum est *sudores* in plurali, & additum *si inceperint*, quod continuationem quandam significat: cum igitur crisis ob hanc causam diminuta fuerit; non mirum, si æger recidivauit.

Quinta reuersus est -- Quoniam *quæ relinquantur ex morbis recidivas facere consueverunt*; quoniam rursus, ex crisi imperfecta, non potuit non aliquid relinqui, recidiva contigit, & contigit ea die, quæ motui naturæ erat destinata, videlicet, quarta: quippe cessauit febris nona, & quinta die, postea redijt. Ita ut in hoc ægroto; siue numeretis dies decretorios, computando à prima radice, siue à recidiva, idem est. Constat autem, recidivam ab exigua causa intus remanente fuisse orram: siquidem, præter recidivarum legem, quæ solent suis radicibus esse deteriores, hæc fuit melior: nam in recidiva non delirauit, & durauit per tres dies duntaxat: quippe decimaseptima, sudore rursus adueniente, perfectè iudicatus est. Fuit autem à prima radice decimaseptima, à recidiva autem tertia.

H. 2. a.
ph. 12.

ÆGROTVS

QVARTVS.



N Thaso Philini uxorem, quæ filiam pepererat, cum purgatio secundum naturam facta esset, & aliàs leuiter degeret, decima quarta à partu die febris vehemens corripuit cum rigore. Ab initio verò cor dolebat, & circa pericordium dextrum: muliebrium partium dolores: purgatio cessauit. Vbi vero glandem subdidisset, hæc quidem leuiora facta sunt. capitis autem, colli, & lumborum dolores permanebant. Somni non aderant. Extremitates frigida, siticulosa erat: aluus combusta pauca egerebat. Vrinæ tenues ab initio decolores. Sexta die ad noctem multum delirauit, & rursus resipiscebat. Septima siticulosa: secessus biliosi abundè colorati. Octaua superriguit. Febris acuta, conuulsiones multæ cum dolore, multum delirabat. glande subdita exurgebat, multaque cum fluxione biliosa prodibant. Somni non aderant. Nonna conuulsiones. Decima parum resipiscebat. Undecima dormiuit: omnium recordata est. statim autem rursus delirauit. Vrinam autem reddebat cum conuulsionibus, aceruatam, multam. Illis autem parum admonentibus crassam albam: qualis est ex his quæ subsiderunt vbi multo tempore sita fuerint conturbata: non subsidebat: color, & crassitudo talis, qualis est in vrinis iumentorum. Talia mingebat, quæ ego vidi. Circa decimumquartum diem palpitationes per totum corpus: sermones multi, parum resipiscebat, verum statim rursus delirabat, circa decimum

cimum septimum voce destituebatur, vigesima mortua est.

Cum purgatio secundum naturam facta esset --
Discrimen est inter *καταλυσια* idest menstrua, & *λόχεια* idest puerperia, quod illa singulis mensibus contingunt, & si retineantur morbos quidem gignunt, sed ut plurimum chronicos, hæc, si præternaturaliter intra tempus à natura constitutum, cessauerint, valde acutorum morborum, & lethaliū sunt causa, quippe in puerperijs praua est materia, siquidem fœtus id, quod probum erat, sibi accepit. Constitutum tempus mulieri, quæ masculum peperit triginta dierum est quæ feminam (ut erat ista) quadraginta: quippe femineus fœtus, ut pote frigidior, minus alimenti absūmit, & subinde plura relinquit excrementa.

Febris vehemens corripuit cum rigore -- Ex inflammatione vteri, qualem in hac muliere, saltem ex dolore circa partes muliebres, suspicari possumus, febrem fieri acutam scribit Hippocrates, *Hip. de morb. mul. 2.* cui assentitur Galenus, qui validas, vehementesque febres in vteri phlegmone fieri, inquit, rationem reddit *quoniam vterus plurimas grandissimasque venas habet, in quibus, aut prope quas, si sanguis putrescat febrem succendi de synochorum genere necesse est.* *Gal. de humor. & 6. epi. sec. 1. cō. 2.* Est præterea alia ratio, videlicet maximus consensus vteri cum corde per arterias, quare si in alijs inflammationibus febris, quæ accenditur est magna, in inflammatione vteri longè maior esse debet. Rigor etiam vteri affectibus familiaris est: quippe vteri substantia membranosa est, & plurimos habet in sua com-

positione nervos, qua propter, cum mordetur,
& pungitur, in consensu trahit viuersum nervo-
sum genus, fitque horror, aut rigor, non aliter,
ac iniecto in plagam acri medicamento.

Ab initio cor dolebat-- Patiebatur cardialgiam,
seu cardiogmon, nempe dolorem, aut morsum,
non quidem cordis, sed oris ventriculi, quod
Veteres cor nominabant; non autem est dicen-
dum, istum dolorem fuisse propter aliquam
inflammationem illius partis: satis enim fuit,
quod vapores ab utero susciperet, ut ob hanc
causam grauiter doleret: est namque os ventri-
culi exactissimo sensu præditum, & ita esse,
oportuit, ut facile diuulsionem, quæ fames dici-
tur, perciperet. Est autem magnus uteri cum
ventriculo consensus, ut ostendunt mulieres,
uterinis affectibus conflictatæ, quas omnes co-
mitatur inappetentia valde magna, nausea, im-
portunique ructus.

Circa præcordium dextrum-- Triplex erat dolor,
vnus per consensum, quæ diximus in ore ventri-
culi, alij duo, propter duas partes inflammatas,
iecur, & uterum. Iecoris inflammatio colligitur
ex dolore dextri hypochondrij, inflammatio
uteri, ex dolore partium muliebrium. Vallesius
legislatorum more, ait, in iecore fuisse inflam-
mationem, in utero erysipelas; oportuisset ta-
men rationem reddere, cur ita sentiret, quod
quia non fecit, deferendus est. Mercurialis, in
iecore non inflammationem fuisse, existimat,
sed phlogosin, hanc etiam Galeno antiquio-
res, nomine inflammationis, seu phlegmonis,
comprehendebant, verum si sola esset phlo-
gosis,

gosis, calor quidem sentiretur, non dolor. Ego multa in hac muliere signa reperi ab Hippocrate allata in inflammatione vteri, quæ licet erysipelate sit benignior, potest tamen occidere. cumque Hippocrates narret erysipellatis vteri signa, quæ in hac non aderant, non est, credendum, fuisse erysipelas. Cumq; phlegmon fiat ex bono sanguine, & hæc mulier per quatuordecim dies fuerit secundum naturam purgata, & in reliquis benè habuerit, magis credibile est ex sanguine, quàm ex bile, factam fuisse in vterum fluxionem.

Purgatio cessauit -- Inter euentus primæ diei, vltimo loco scribit purgationis cessationem: vnde videbitur alicui, prius febrem accensam, postea verò cessasse purgationem. quod si ita est, dubitare, possemus, num ex retentis puerperijs febris fuerit orta, an magis ex febre, calore, exsiccante purgationes, cessasse. Mercurialis ait, vltimo loco factam fuisse mentionem retentionis purgationum, quia purgationes non visæ sunt cessare, nisi tardè, nam puerperia non fluunt iugiter, & continuatim, sed per interualla, vnde non statim animaduertitur vitium, sed post aliquod tempus. Respondet etiam aliter cum Hippocrate, mulieres verecundari, ac proinde istam erubuisse statim prima die purgationis defectum fateri. Verùm leuia sūt ista. Satis est, quod cessatio purgationis, inter ea, quæ prima die acciderunt, narrentur, de ordine vero non erat admodum sollicitus Hippocrates.

Puto igitur, crassiores sanguinis partes in venis circa vterum detentas fuisse, & sanguinem, iam

*Hip. I.
morb.
mul.*

iam ab hepate inflammato procedentem, ac subinde valde calidum, ibi conculcatum incaluisse magis, & putredinem concepisse; unde facta fuit inflammatio, & forsan ex putredine, tenuiores partes in bilem abeuntes, fecerunt, ut phlegmon esset erysipelatodes. hoc est, aliquantulum biliosi humoris particeps.

Vbi vero glandem subdidisset — Non quæ ad fæces extrahendas ano apponitur, de qua inferius, in hac ægrota mentionem facit; solet enim Hippocrates, quando de glande ad egerendum loquitur *πρόβητα* hoc est, suppositoria, apposito *βάλανον* hoc est, glandem dicere, nempe, suppositoriam glandem, quando vero (ut in libris de morbis mulierum sæpiissime facit) vult significare ea, quæ utero sopponuntur, tunc simpliciter *πρόβητα* hoc est, suppositoria dicitur. Ita videbitis in præsentè dictum, subdito suppositorio, melius habuisse, & infra, subdita suppositoria glande, crebrò exsurrexisse, quod si Cornarius, cuius versionem aliàs sequimur, utrobique glandem vertit, eum in hoc non sequimur, quippe græcis dictionibus non se se accomodavit, existimans fortasse, ut Mercurialis, qui Cornario semper adhæret, existimavit, utrobique fuisse appositam glandem ad extrahendas fæces. Cæterum si ita esset, diceret Hippocrates, quid hac glande fuit extractum, sicut dicere solet, & inferius ex glande ait exsurrexisse. Fuit ergo suppositorum, quod, vel in vellere, vel simpliciter confectum apponi solet in uteri doloribus, aut alijs uterinis affectibus. Cæterum, cum suppositorium istud sit remedium locale, non debuit applicari, nisi celebra-

lebratis prius vniuersalibus euacuationibus, itaque cum adhuc esset in principio, non crediderim mulierem fuisse satis euacuatam, sed alterum duorum fuit, vel mulier ista ex consilio muliercularum suppositorium anodinum sibi applicari passa est, ex quo dolor quidem leuior est factus, sed hæc subleuatio non valde durauit, vel dicendum, vehementiam doloris, & grauitatem symptomatum medicum coegisse, vt ad curam coactam confugeret, & omitteret regularem, forsanque aliquod pessarium narcoticum applicuit, vt partis sensum obtundens, quietem aliquam induceret.

Capitis autem & colli, & lumborum dolores permanebant -- Quamuis remedium topicum eam partem, cui adhibitum est, consolatam reliquit, nihilominus aliarum partium labores non cessarunt. Capitis cum vtero magnus est consensus. Nam, inter reliquas corporis partes, vterus tum plurimas, tum maximas habet venas, & arterias, his repletis, & vitioso succo redundantibus, multo magis, si calor præter naturam accesserit, vapores multi, tum in stomachum, tum in caput, attolluntur: consentit enim vterus cum stomacho, & syncipite, vt ex 6. epidem. Per venas ergo communes vtero, & mammis, multa antrorsum, per arterias colli ad posteriores partes capitis feruntur. Vnde etiam per eas venas, & arterias colli dolor fit; lumbi etiam dolent, quia præclusis acetabulis, vasa, quæ ad vterum pertinent, implentur, imbibunturque vincula, per quæ vterus vicinis partibus alligatur, ex quo lumbi maximè laborant.

*Hip. &
Gal. 6.
epi. sect.
1. tex. 20*

Vapo-

Vapores, ab vtero eleuati, in cerebrum, & vtriculum, duo attulerunt mala, sitim, & vigiliam, propterea siticulosa erat, somni non aderant. Venter a calidis fumis exsiccatus, sitim, cerebrum eorundem fumorum acredine punctum, vigiliam inducebat. *frigiditas extremorum* aderat, omnibus internis inflammationib. propria: quemadmodum enim (vt Galenus inquit) in morbis longis calor natiuus, præ debilitate, nequaquam permeat ad extremas corporis partes, sic in morbis acutis, propter magnitudinem inflammationis viscerum, parum sanguineę substantię in omne permeat corpus, plurimum verò eius in parte inflammatione affecta includitur, & ob eam rem, medię corporis partes, quę sunt thorax, ac venter, satis videntur calidę; videtur autem (teste eodem) solis accidere febribus, quę causones ab incendio nominantur, perniciosas, vel si aliter libeat appellare, malignissimas. veluti lypirijs. Hęc autem viscerum inflammationem, ad quam febrem lypiriam sequi vult, intelligit vniuersalem quandam interiorum partium phlogosim. Nam ex particulari membro inflammato, nunquam apud eum reperio lypiriam nominatam, imò potius aliquando, referens antiquorum

Gal. 2.
progn. 4.

Gal. 4.
aph. 48.

Gal. 7.
aph. 42.

sententiam sic ait. *In quibus sine partis inflammatione, putrescentes in venis humores febrem accendunt, in illis solis dicebant hominem febre molestari, & ipsum à febre haberi. Atque in ipsis febrium scripserunt differentias Hepialon, lypiriam, Eloden, & Typhoden, pestilentem, & Causon, id est ardorem nominantes. Hepaticam, autem febrem, vel lienosam, aut pulmoniam, aut latheralem nemo dixit. Sic Galenus,*

Ienus, qui tamen, vel sibi parum constans, vel an- *Gal. 2.*
 tiquorum dicta nihil curans, alibi ita scriptum *crif. 7.*
 reliquit. *Alia est enim forma febris phrenitica, &*
peripneumoniaca, & pleuritica, & hepatica, itidem,
& aliarum omnium febrium, quæ ex inflammatis
quibusdam particulis accenduntur, sed & aliæ rur-
sus formæ sunt earum, quæ ex erysipelatibus acci-
dunt, & febris ardens, vel maligna, vel pulmonis,
vel hepatis, aut ventriculi erysipelatibus superuenit.
 Sed his omiſſis (quisque enim ad libitum mihi *Aet. tr.*
 videtur nominibus vsus: quippe Aetius lypiriam *2. serm.*
 febrem, inquit, esse, quando in ventriculo erysi- *1. c. 4.*
 pelas existit, typhoden, quando in iecore, crim-
 nodem, quando in pulmone. Galenus tam lypi-
 riam, quam typhoden, quam etiam crimnodem *Gal. 2.*
 ad eas reducit febres, in quibus interna vruntur, *prog. 4.*
 externa algent) vnum mente tenere oportet,
 quod de bubonibus dixit Hipp. & ad omnes in-
 flammationes potest extendi, si ex illis ad cor
 simplex alteratio distendatur, febris erit eph-
 mera, si vapores putridi mirantur, tunc non
 potest non praua esse febris, putrida, & ut plu-
 rimum maligna, quæ tamen erit symptoma: pro-
 pterea caute à Valleſio, existimante febrem,
 quæ symptoma est, semper esse ephemeram.
Alius combusta pauca egerebat. Vt alui excre-
 menta aduſionem, sic vrinæ tenues decolores,
 cruditatem præſerebant. Galenus in quadam,
 quæ apud Pantimedem degebat, & febre arden- *G. 3. e-*
 te laborabat, cruda verò excrementa, crudaſque *pid. ſect.*
 eiecit vrinas, ſuſpicatur, in tota mole corporis *2. egro.*
 biliolum fuiſſe acernatum humorem, in pri- *10.*
 mis autem venis lactium, & ſinis iecoris
 cru-

cruda contenta . Et quia crudæ erant vrinæ, vt crudæ deiectiones , ait, non solum in primis venis, sed etiam in gibbo iecoris , crudos humores abundasse . In presente , quoniam deiectiones erant biliosæ , & vrinæ crudæ, dicemus in parte concava iecoris fuisse biliosa , quæ per intestina mittebantur : in gibba autem cruda , quæ per vrinam . Nisi magis velimus dicere fæces, tinctas multa bile, ad intestina descendisse, serum autem humorum , propter biliosam portionem, ad caput raptam , remansisse sine colore, ac propterea, ait , fuisse vrinas decolores , signum ascendentis materiæ ad caput .

Multum delirauit , & rursus resipiscebat -- Non erat adhuc phrænesis , propterea delirium non erat continuu . Et hoc est notatu dignum, quoniam pars biliosi humoris crassior , facibus admixta, per aluum descendebat, iccirco fæces erant adustæ , portio verò subtilis ad caput ascendebat , ideo vrinæ remanebant decolores, ac quoniam hæc pars subtilior in cerebri raritate non poterat permanere, effuebat, ac proinde non faciebat abscessum , sine abscessu autem nondum est facta phrænitis .

Octaua super riguit -- Infausta valde fuit hæc octaua dies , in qua omnia , quæ antea aderant , longè grauiora sunt reddita . Habuit de nouo rigorem , quem non fuisse salutarem, preclare innuit, dum ait *super riguit, febris acuta* quippe *si rigor incidat* (inquit summus Dictator) febre nõ deficiente ægro iam debili, lethale est . Non defecit febris, imò creuit (nam cum Hippocrates ait *febris acuta* , significat febrem exacerbatam, nam alias

H. 4. a-
ph. 46.

aliâs iam antea febris erat acuta) si febris increvit in rigore, vel post rigorem, certè rigor lethalis fuit, præcipuè ægro iam debili; debilitas namque ex octo dierum vigilijs, deiectionibus, laboribus, pro hypothefi habetur.

Sed cur non fuit rigor salutaris? nonne, à *cau-* *H. 4. a-*
sone habito, rigore superueniente solutio? Mulier *ph. 58.*
ista causone, hoc est, febre ardente erat apprehensa, nihilominus rigor non potuit criticus appellari, subinde, nec morbi iudicationem, solutionemq; afferre. Non fuit autem criticus, tum quoniam non præcesserunt coctionis signa, tum quia incidit die octauo, qui decretorius non est, tum denique quoniam nullam habuit subsequentem euacuationem, vtalui fluxum, sudorem, vomitum bilosum; hæc enim, non rigor, sunt, quæ febrem solunt, vt Galenus in commento, & alibi dixit.

Glande subdita exurgebat. Hoc suppositorium fuit ad expurgandas fæces *προέτα, βέλανον*, apposita hæc suppositoria glande, crebrò exurgebat ad deijciendum, quod attestabatur magnam humoris mordacitatem: acquisiuit enim materia per adustionem empirrheusin, quæ mordax est. Porro ista empirrheusi, tam erat in fæcibus, quæ per aluum deijciebantur, quam in vaporibus, qui ad caput ascendebant, proinde crebro exurgebat ad deijciendum, ob mordicationem in intestinis, & simul *sonni non aderant*, ob mordacitatem in cerebro, accedit, quod crebra exsurrectio occasionem dormiendi auferebat. Fuit autem hæc euacuatio tam multiplicata in quantitate, quam in numero, ideo non solum

solum crebro exurgebat, sed etiam multa cumfluxione prodibant. Verumtamen sine conferentia: quippe sequente die, hoc est, NONA conuulsiones superuenerunt, quod prauum quidem est, dicente Hippocrate, melius esse febrem conuulsioni superuenire, quam febris conuulsionem. Conuulsio febris superueniens praua erat, sed multò deterior, quia superuenit deiectionibus. cum enim teste eodem Hippocrate, conuulsio

H. 6. fiat ex repletionem, & inanitionem, ea, quæ ex inanitionem fit, longè deterior est. Cæterum cum dicat Hippocrates, hanc mulierem passam fuisse conuulsiones, in numero plurali, existimare debemus, passam fuisse non conuulsionem veram, in qua pars conuulsa rigida manet, sed eam, quam aliqui spuriam appellant, Galenus non conuulsionem, sed motum conuulsium, & Auicenna spasnum non proportionatum, ad materiam; fitque magis ex materia mordicante, quàm ex eadem vel implente, aut inaniante, siuè, quod idem apud me est, humectante, & exsiccante. Consonant igitur omnia; siquidem acrimonia, quæ vigilas in capite, crebram deiectionem in ventre efficiebat, eadem in genere neruoso potuit prestare motum conuulsium.

Multa de conuulsione possem per parergon hic adducere, quæ commodiore loco pertracto. Sufficit nunc summatim scire, eam esse motum deprauatum, non ablatum, quamuis membrum conuulsium rigidum maneat, & videatur in motu: est quidem in motu, sed in motu tónico; est motus deprauatus, licet in eo ita se gerat

gerat musculus, vt se gerit in motu secundum naturam, videlicet retrahendo se ad suum principium. cæterum in motu secundum naturam, operatur libertas voluntatis, in conuulsione, causa morbifica, fit enim conuulsio tota à causa præter naturam: neque enim est actio mixta, vt sternutatio, & rigor, de quo superius diximus, qui fit à causa præter naturam; & à natura irritata.

Decima parùm resipiscebat -- Non erat phrænitis, hoc est, non habebat delirium à causa permanente, sed à vaporum ascensu, propterea delirabat, & resipiscebat. Cæterum, qui vidisset egrum tam decima die aliquantulum resipiscere, & vnde decima dormire, existimaret, rem in melius progredi, & inciperet aliquid boni sperare, verum in magnis, & malignis ægritudinibus cunctandum est in prædictione, & euentus expectandus: quippe hæc statim in fine vndecimæ ad delirium fuit reuersa. Quæret fortassè aliquis, cur decima, & vndecima habuit aliquam quietem, delirium intermisit, & recordata est? Erant isti extremi naturæ conatus, quæ licet cum potentissimo hoste pugnet, à quo victoriam obtinere est impossibile, sed tandem victa concidet, nihilominus in pugna aliquem se se tuendi, licet per exiguum tempus habet locum.

Vrinam autem reddebat -- Cum medicus ad omnia attentus esse debeat, rectè in præsentî Hippocrates optimus medicus, immò optimus medicorum, in vriatione duo considerauit, nempe, symptoma circa actionem læsam, & aliud

G

cir-

circa excreta. Actio erat deprauata: siquidem non reddebatur vrina naturali modo, sed multam, acruatam, cum conuulsionibus, & monentibus ijs, qui assisteabant. Cur monentibus his? nunquid non pungebatur ab vrina? sanè vrina, vti cætera, debuit esse mordax, verum mens ægrotabat, ac proinde ægra, presente doloris causa, dolorem non sentiebat, & obliuiscetur meiere, postea admonita, reddebat multam, acruatam. Sic diximus de respiratione, sic de potu: æger enim mente laborans obliuiscitur respirare, & postea vna respiratione magna, supplet vicem multarum, sic bibere obliuiscitur, & si admoneatur vt bibat, multum simul, & tumultuario bibit. Iccirco reddebat acruatam multam, quia non nisi admonita eam reddebat. Cæterum hoc magis pertinet ad mentis læsionem, quam ad vesicæ: quod autem reddebat vrina, cum conuulsionibus, causa esse potest, quod vterus vesicæ nimium propinquus, aliquantulum præter fluente per vicina loca vrina, pungebatur, trahensque in consensum vniuersum genus musculosum, conuellebatur, quamuis autem rarum esse, dicat Galenus, ex vtero conuulsiones fieri, fiunt tamen, præcipue motus conuulsui, quales sunt epilepticorum. Vel dicendum, partes illas circa vterum ex mictione recipere aerem, cuius frigiditate conuellerentur, & traherent reliqua in consensum, atque hæc de actione vitata.

Excretum etiam vitiosum erat. Erat quidem alba, & turbata, veluti vrina, quæ multo tempore fuit reposita. Albus color, vel pituitam significabat,

ficabat, quod aliquis posset existimare, nam, somnus vndecimæ diei potest fuisse ex colliquata a calore pituita, quæ cerebrum irrigauit, & subinde somnum inducit, hoc pituitosi humoris colliquamentum potuit per vrinas excerni, ac ita erant vrinæ albæ, sed ob efferuescentiam a calore febrili erant simul, & turbidæ. Verum, non existimo, post tot dierum igneum calorem tantam relictam fuisse pituitam, quæ huiusmodi vrinas faceret, potuit pituita in principio liquari, in fine autem non aderat. Melius videtur dicendum, fuisse turbidas ob ebullitionem, albas verò, quia deerat bilis, à qua tingerentur, deerat, inquam, quia denuo ad cerebrum rapta, nouum excitauit delirium, maxime, quia erat veluti iumentorum, & capitis affectum significabat.

Quod autem esset turbida, & turbida, remaneret turbida, prauum fuit, signum, triplicem enim turbidarum differentiam assignat Galenus, vel cum turbidæ mixtæ sunt, & paulò post *Gal. 1.* resident, vel semper turbide permanent, vel pu- *cris. 12.* ræ quidem minguntur, postea verò turbantur. Quæ enim statim residet, parum aliquid inæqualis turbulentia superesse demonstrat, quæ semper similis remanet, vigere adhuc, quæ est in sanguine, agitationem, ostendit, quæ verò extra cōturbatur, debet adhuc incipere concoqui, hæc tertia omnium est pessima, sed illa media medium habet prauitatis locum; talis autem fuit ista de qua loquimur, neque poterat pura mingi, & extra turbari, quoniam morbus erat iam adeò ultra progressus, vt non esset iam, cur ex-

pectaremus coctionem : erat ergo in summa agitatione, ac propterea, vrina erat mixta turbida, & turbida perseuerabat. Cumque esset iam ultra vndecimam diem, nullam habebat subsidentiam, signum manifestum, humores in venis existentes, nullam à calore naturali culturam accepisse.

Circa decimumquartum diem-- Vbi ergo nulla erant coctionis signa, flatus multos abundasse patet, qui, per membra insinuat, varijs in locis palpitationes excitabant. Suspicio etiam, has palpitationes factas, ex ebullitione sanguinis in venis. Et profectò, quo magis progressus est morbus, eo materia magis turgentiam præseferbat: quippe vapores, flatus, & sanguis nunc in venis, & alijs corporis partibus palpitabant, mox inde ad caput sanguine accedente, multiloquij erat causa, accedentibus amplius vaporibus biliosis, augebantur deliria, secedebant omnia à cerebro, & resipiscebat, hæc ad intercurrentes nervos delapsam, aphonia causam præstabant. Inter hos labores mulier conflictata se se ad vigesimam perduxit, in qua, cum natura crisin moliri vellet, bonam efficere non potuit; nec enim erat in humore talis apparatus, qui ad bonam crisin conferret, quare victa tandem occubuit.

Hip. 3. prog. 1. Fuit autem dies vigesima iudicatoria ad malum: quippe vt Hippocrates ait; *Febres iudicantur iisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines, & ex quibus intereunt.* Hoc est vnus, & eiusdem morbi terminum ad salutem, cum signis salutaribus, & terminum ad mortem, cum

cum signis lethali-
bus esse, eundem. Quamuis
autem Galenus dicat, cum vno signo quosdam
cito mori, quosdam tardè liberari, hoc nihil
prædictæ sententiæ aduersatur: Nam loquitur
de identitate signi, non de identitate morbi.
nam si sedimentum apparuerit farinaceum in
morbo acuto, mors breui sequetur, in longo,
tardè liberabitur. Occubuit mulier ista
die vigesimo decretorio celeberrimo,
cuius perfectionem alibi
cum Galeno de-
claramus.

Gal. 7.
aph. 31.



ÆGROTVS QVINTVS.

PICRATIS uxorem, quæ decum-
bebat apud Archegetem, partui iam
propinquam rigor fortiter corripuit, non
incaluit velut dicebant. Et postridie
eadem erant. Tertia die peperit filiam, & alia
omnia iuxta rationem venerunt. Postridie à partu
febris acuta eam inuasit, cordis dolor, & muliebrium
partium, Vbi verò glandem subdidisset, hæc qui-
dem leuiores facta sunt, capitis autem, & colli,
ac lumborum dolor. Somni non aderant. Ab aluo
modica, biliosa, tenuia, pura prodibant. Urinæ
tenuis sub nigra. Sexta die, à quo febris ipsam
corripuit, ad noctem delirauit. Septima, omnia
exacerbata sunt, vigilans delirauit, siticulosa, se-
cessus omnes biliosi abundè colorati. Octaua super-
rigit, plus dormiuit. Nonna per eadem. Decima
crura laboriosè dolebat. Cordis dolor rursus, capi-
tis grauitas, non delirauit: magis dormiuit: aluus
restitit. Vndecima sudauit, minxit melius colorata,
multam subsidentiam habentia: lenius degebat. De-
cimaquarta superrigit: febris acuta. Decimaquinta
vomuit biliosa flaua satis multa, sudauit, sine febre.
Ad noctem febris acuta: urinæ crassæ subsidentiam
albam habentes. Decimasexta ad noctem exacerbata
est, & cum molestia, non dormiuit, delirauit. Deci-
maoctaua siticulosa, lingua combusta est: non dor-
miuit: multum delirauit: crura dolebat. Circa vigesi-
mam

nam mane parum riguit, soporosa quiete dormiuit, vomuit biliosa; pauca nigra. Ad noctem surditas. Circa vigessimamprimam lateris sinistri grauitas, per totum cum dolore; parum insuper tussit. Vrina crassa, turbata, sub rubra, quæ depositæ non subsidebant: cetera, leuiora, non sine febre. Statim ab initio fauces dolebat, rubor aderat: columella reuulsa, fluxio acris mordax, salsa, perpetuò perseuerabat. Circa vigesimamseptimam febris libera, in vrinis subsidentia: latus dolebat. Circa primam, & trigessimam febris corripiebat: alius ex biliosis turbata est. Quadragesima die vomuit pauca biliosa. Iudicata est perfecte libera à febre octogesima.

Partui iam propinquam -- Similem morbum, & ferè eadem symptomata habuit vxor Philini, & vxor Epicratis, de qua nunc agitur, sola differentia est in principio, & fine. Principium illius fuit post partum, istius ante partum, finis illius fuit mors, istius sanitas. Vtraque biliosis humoribus permixtis cum pituitosis scatebat, sed in hac plures aderant pituitosi, quàm in illa. Signum huius rei inter alia est rigor prima, & secunda die, à quo non incaluit: Verisimile enim est, hunc rigorem à pituita vitrea fuisse factum, quippe si à bile, nò potuisset nò incalescere. Sed nonne diximus antea cū Galeno, antiquos non cognouisse rigorem sine febre? ita est, & Galenus iccirco apposuisse Hippocratem, vt ferebant, propter rei nouitatem. Profectò non videtur credibile, eos omnino non cognouisse rigorem sine febre, sed rarum esse existimarunt, quod Galenus refert ad illius sæculi frugalitatem. Ceterum quoniam pregnantibus, ob vitiosos succos in ventri-

culo aceruatos, pica soleant laborare, praua edulia semper appetunt, præcipuè fructus, & & res acerbæ, potuit ergo contingere huic mulieri, quod contigit adolescenti, nempe, rigor sine febre ex esu glandium viridium ex palmulis collectarum, ista potuit acerbos fructus, aut similia in cibo vti, vnde & rigor, quem Galenus spontaneum vocat; cæterum licet ex prauo sit victu, spontaneus tamen est, nam non spontaneum solum dicemus eum, qui fit ex asperione aque frigide, occurfu frigidi aeris, combustione, medicamento acri vlceri imposito.

Tertia die peperit filiam -- Cum prius dixisset partui esse propinquam, significauit esse extra octauū mēsem, in quo mense si fætum emisisset, abortus foret, sed postquam octauus præterijt, & ingressus est nonum, partus fuit perfectus, non diffiteor fuisse acceleratum, propter concussionem rigoris, nihilominus iam fuit in tempore opportuno, & quemadmodum cum fructus in arbore iam maturitatem est assequutus, parū refert, an vento concussus cadat, an manu colligatur. Ita etiam, maturo iam existente, fætū, nihil refert, an fuerit ab aliqua causa præter naturam partus prouocatus, an ex solius naturæ lege accersitus. Illud existimo faustum fuisse, quod *omnia iuxta rationem euenerunt*, nempe secundas emisit, & puerperia processerunt, vt par erat. Hæc purgatio non potuit non esse utilis, & sanguinis missionis vicem supplere.

Postridie à partu -- Ceterū in corpore admodum cacochymo, & iam ferè ægrotante parienti

di

di labor, & dolor ignem accensit in humoribus crudis, & biliosis, ac proinde febris acuta fuit excitata, cum defluxu putrescentis istius humoris ad vterum, & lumbos, & circumuicinas partes. Non narrat purgationes cessasse, vt cessarūt in Philini vxore, si cessassent, non possent non plegmonem in vtero excitare, nihilominus vterus violentiam in partu maximam passus, indoluit; reliqua omnia, vt in pracedente, grauia, apparuerunt per decem dies, ita vt similis euentu, timendus foret. Sed inter alia quæ habuit pessima, fuerunt vrinae tenues subnigrae. Diceret tinctas ex purgationibus, sed ex his apparere solent sanguineae, grumis plenae, crassae, tenues subnigras prauas esse diximus, tum, ob tenuitatem, tum ob nigredinem, existimo aliquam humoris nigri portionem eas tinxisse.

Sexta die à quo febris. -- Distinctè loquitur, & ne aliquis existimet, sextam diem esse à partu, ait, sextam diem à febre, quæ fuit à partu octaua, numerat autem à febre dies, non à partu, vt indicet partum istum fuisse naturalem, ac proinde computandos esse dies ab aggressu febris; sexta ergo die, & septima magni incendij signa apparuerunt, delirauit sexta, & vigilans delirauit septima, hoc est maiori delirio erat afflicta: nam coepit inter dormiendum delirare, postea etiam inter vigilandum, hoc delirium, cum vigilia, fitis, qua premebatur, & deiectiones abundè coloratae, hoc est multa bile saturatae, adurentis caloris soboles erant, sicut etiam rigor octaua die superueniens,

Cru.

Crura laboriosè dolebat -- Hoc habuit nouum, quod ceteris malis nona die accessit, nempe, dolorem crurum, qui potuisset esse utilis, decumbente materia ad partes inferiores, verum adhuc nulla conspiciebatur conferentia, nam omnia graua persisterant: siquidem simul cum dolore crurum, aderat cardialgia, & capitis grauitas, sed hoc solum bonum habuit, quod non delirauit: quippe cum materia esset mixta, ex biliosa, & pituitosa, biliosa ob suam tenuitatem, & irrequietam conditionem ad ventriculi os, & ad crura se se contulit, pituitosa remanens in capite, minùs excalefacta, grauitatis sensum impressit, somnumque conciliauit, ideo ait, *magis dormiuit, alius restitit*, quia; nempe, iuxta partes, ad quas materia se conferebat, symptomata eueniebant, contulit se ad ventriculum, & crura, dolebant hæ partes, deseruit caput, & intestina, præbuit locum somno; & non dedit occasionem irritationi: quare ægra magis somnolenta, & minùs irritata, dormiuit, & alius ei restitit.

Vndecima sudauit -- Quemadmodum, si post horrendam procellam, & aeris obscuritatem, sydus aliquod appareat, latantur nauigantes, ita debuit lætitiæ afferre signum bonum, quod in hac vndecima die primum apparuit, nempe, vrina, & in colore, & in contentis melior, de substantia non dicit, sed credibile est hanc quoque fuisse satis laudabilem. Hoc semper in febribus obseruate, cuncta signa bona cum vrinarum prauitate nullam fidem merere, & è contrario, cuncta signa praua cum vrinis bonis,

nis, non omnino esse terribilia. Non negabo in valde pestilentibus, vrinas apparere bonas, & tamen ægrotantem perire, nihilominus, siquid in medicina est, cui fides sit habenda, sunt coctiones, quas securitatem significare, dixit Hippocrates.

Considerare oportet in hac die vndecima, die satis considerabili, fuisse sudorem, fuisse vrinam, meliorem, quam antea, fuisse conferentiam: siquidem, *lenius debebat*. Duo erant diuersa, nempe, causæ, & signa, vtraque decretoria, causa fuit sudor cum conferentia, signum vrina, cumque dies vndecima sit, & decretoria, & indicatoria, quatenus decretoria habuit euacuationem, quæ potuit morbum iudicare, sed non perfectè, quia habuit vnâ conditionem, alteram non habuit, nempe, habuit hanc, quod fuit in die decretorio, non habuit illam, quod fuit cum præcedentibus coctionis signis; nullam enim prius coctionis fecerat mentionem. Et ita sudor fuit quidem euacuatio proficua, sed non multum, & propterea, vt videbitis non perseverauit sublenatio, sed statim priora redierunt.

Quatenus dies indicatorius, habuit vrinam, quæ decimam quartam, & decimam septimam bonam poterat polliceri, bonus enim color, prima bonitas est in vrina, neque enim, à multo bilioso humore reddita erat valde saturata, subsidencia est signum sequestrantis naturæ utile ab inutili, erat tamen subsidencia multa, melius fuisset, si per gradus accederet, & prius apparuisset nebula, postea æneorema, tandem hyposthasis. Adducor igitur, vt credam, non fuisse veram

ram hyposthasim, hoc est, concocti humoris portionem, sed potius pituitosum humorem, simul cum urinis eiectum, quæ eas reddidit melioris coloris, ac deinde, reposita urina, suo pondere fundum petijt. Confirmor in hac sententia, quia, si vera est hyposthasis in vndecima, non potuisset non morbus decimaquarta, aut, ad summum decima septima, iudicari, & tantum abest, quod hoc euenerit, ut potius ad quadragimum morbus fuerit protractus. Igitur plaris faciendus fuit sudor, quam urina, quippe sudor præfens aliquod bonum attulit, nempe, ut aliquantisper ægra subleuaretur, urina non iudicauit recte: Nam decimaquarta, non solum non fuit sequuta liberatio à febre, sed potius rigor non decretorius: iam enim audistis, rigorem non esse utilem, nisi secum afferat aliquam euacuationem, sed nullam attulit, immò, *decimaquarta superviguit febris acuta*, hoc est, ad rigorem non sequuta fuit refrigeratio, sed exaltatio, contra normam boni rigoris.

Decimaquinta -- Sudor, & subleuatio à febre, quæ die decimaquarta euenire debuerat, euenit decimaquinta, & tanta est dierum criticorum dignitas, ut, quoniam hæc subleuatio extra diem criticam euenit, durabilis non fuit, hoc tamen habuit bonum hæc febris, quod aliquoties quiescens, inducias præbebat, ac proinde ægrotantis vires reficiebantur.

Ad noctem surditas -- Post nigram vomitionem surditas accessit, quam Autor Coacarum non timet, inquiens *in nigris vomitionibus surditas non nocet*, quam sententiam nec Hollerius, nec
Du-

Duretus recipiant, sed tanquam falsam rejiciunt. nam in prorrheticis æruginosi vomitus simul cum surditate, ad insaniam perducere dicuntur, & Galenus ibidem, æruginosos viam esse ad nigros, quare si æruginosi prauis sunt, prauiores sunt nigri. Vomitus fit per consensum a cerebro, quando igitur cerebrum est occupatum, ut surditas ostendit, estque occupatum ab atra bile, ut ostendit vomitus niger, speranda est insania vehemens.

Hoc quamuis ita se habebat, tamen in hac muliere delirante ob atram bilem, quæ cerebrum occupabat, & ventriculum ad vomitum proritabat, surditas aliquid profuit, quia humor, a cerebro ad auditorios meatus detrusus, minus nocere poterat, quam si in cerebro permansisset. Fuit igitur in die vigesima hæc surditas critica, hoc est, veluti quidam abscessus, factus à natura expellente materiam prauam, ex membro magis principe ad minus princeps. Itaque vel surditas fit, exsoluta facultate, & tunc est lethalis, quod in præsentem non est dicendum, nam ex alijs signis cognoscimus, facultatem non esse penitus exsolutam, vel est firmata, & antiqua, & hæc prorsus est incurabilis. Vel superuenit febris, si superueniat initio febris, tunc, *surditas in acutis turbulentis mala*, sic Clazomenius à principio obsurdit, & quarto die desipuit. Et Her-
 & Phylista, qui secundo obsurdit, & eodem circa meridiem insanit. Cum ergo turbulentie fiant in principio, augmento, & fratu, in his temporibus surditas raptum humoris ad caput indicat, estque prauus turbulentie affectus.

At

1. prorrh.
 sect. 1.
 32. & 6.
 epid. sec.
 5. rex. 13
 & in
 Coac.

At Epicratidis vxor, de qua agimus, in vigesima die erat constituta, vrinae reductæ ad meliorem frugem, omnia sedari incæperant, quare magis ex adueniente surditate delirii solutionem, quam delirii aduentum possemus prædicere. Vidi multoties surditates in acutis pessimas, & quarum consentanea erant deliria. Vidi pluriès delirantes, surditate superueniente, liberari. Quid ergo sperandum ex hac surditate, contingente iam iuxta declinationem? nempe, superuenturum, vel sanguinis è naribus fluorem, vel alui fluxum ex quibus morbus soluetur, sic Hippocrates, quibus in febribus aures obsurduere, his sanguinis è naribus profluens, aut perturbata alui morbum soluit; sanguis è naribus non fluxit, sed propè morbi solutionem, videlicet, circa trigessimam primam, alui biliosis turbata est, & quadragesima fuit iudicata. Sed quæret aliquis, cum crisis fieri soleat manifestis euacuationibus, quænam fuit euacuatio, per quam ista mulier fuit iudicata? nempe biliosa deiectio, quæ trigessimæ primæ incepit, tum vomitus biliosus, qui quadragesima die accidit. At respondebit, vomitum fuisse exiguum. ita est; ac propterea iudicatio fuit imperfecta: quippe per alios quadraginta dies cum febre transegit, donec octogesima tandem die perfectè à febre fuit libera. Ita vt, cum morbi soluantur, & per iudicationem, & per simplicem solutionem, hic morbus vtroque mordo fuit terminatus; per iudicationem quidem, sed imperfectam, ideo quadragesima iudicata est, per simplicem tandem solutionem, octogesima perfectè à febre libera.

*Hip. 4.
aph. 60.*

Oc-

Occurrit in historia vnũ dumtaxat magni momenti considerandum, videlicet, Hippocratem vrinarum boni coloris, & subsidientiam habentium, in hac ægrotante mentionem fecisse, quod non fecisset, si illi fluerent conuenienter lochia, idest, puerperia, nam tunc multo sanguine conspurcatæ vrinæ, vix medicis conspiciendæ offeruntur. Habuit ergo suppressas purgationes, & hoc etiam indicant varia symptomata, quæ in hac historia narrantur, omnia puerperiorum, cessationem testantia, quomodo igitur potuit euadere, purgationibus istis non superuenientibus? nam mulier morosa, superuenientibus purgationibus menstruis, euasit. In hac Epicratis historia scimus purgationes cessasse, quod (vti diximus) testantur vrinæ puræ, & symptomata superuenientia; non constat autem has purgationes superuenisse, neque enim id silentio, prætermisisset Hippocrates. Mihi videtur Hippocrates, venam ex talo, aut ex poplite huic mulieri secari iussisse, & fortasse non semel, sed plurius, at sanguinis missio ex cruribus, vel prouocat purgamenta vel saltem supplet eorum vicem, misit sanguinem huic mulieri, & missione sanguinis suppleuit purgationes, atque iccirco, non superfluentibus purgationibus, potuit liberari. Non meminit, autem venæ sectionis, quoniam non solet curationem narrare.



ÆGRO-

ÆGROTVS

SEXTVS.

CLEANACTIDEM, qui supra Heracleum decubebat, febris corripuit erroneo modo. Dolebat autem caput ab initio, & latum sinistrum: & aliarum partium dolores aderant lassatorum modo. Febres exacerbabantur aliàs aliter inordinate. Sudores quandoque, quandoque non. Exacerbationes ut plurimum in iudicatorijs diebus magis accedebant. Circa vigesimam quartam summas manus dolebat. Vomuit biliosa, flava, satis multa: paulo post autem ærugino-sa. Ab omnibus alleuatus est. Circa trigesimam sanguis ex utrisque naribus erumpere cepit, atque hoc erroneo modo paulatim, usque ad iudicationem. Non autem fastidiebat cibum, neque siticulosus erat per totum tempus, neque in somnis. Urinæ tenues non decolores. Circa quadagesimam minxit subrubra, subsidentiam multam valde rubram habentia: alleuatus est: post hæc autem urinæ variæ quandoque subsidentiam habebant, quandoque non. Sexagesima urinis subsidentia multa, & alba, & lævis. Remiserunt omnia: febres intermittebant. Urinæ tenues quidem, verum boni coloris. Septuagesima à febre liber permansit diebus decem. Octogesimo riguit, febris acuta corripuit: multum sudavit. Urinis subsidentia rubra, lævis, perfecte indicatus est.

Febris corripuit erroneo modo—Miratur Mercurialis, cur inter constitutionis pestilentis ægros, qui.

qui tunc fuerunt, recenseat hunc, qui nulla habuit pestiferi morbi indicia, sed statim ab initio longioris morbi, & salutaris prætulit argumenta. Miror ego Mercurialem, qui in hoc agro maligni, & pestilentis morbi signa non cognoverit; fuerunt quidem, quorum non pauca ab Hippocrate narrantur, ut nos singula perscrutantes, monstrabimus. Interim sine dubio scitote, illud, quod idem ait, nempe, in Peste quoque fieri morbos non pestiferos, falsum esse, immo pestiferæ, seu pestilentis constitutionis hoc proprium esse, ut omnes morbos ad se convertertat. Et ipsemet Mercurialis, inter alia signa, *Merc.* pestis, hoc præcipue tradit, quod omnes morbi in idem genus conuertantur, & desinant, *in præ- lect. de* Marfilii Ficin in suo antidoto affirmat, tempore pestis, nullam præter pestem, ægritudinem *peste c. 7. Ficin. in* apparere. Et Andreas Gallus, ait, cum pestis vires in vna regione vigent, quicumque morbus *antid. c. 4* tunc acciderit, etiam si puer vermibus molestetur, pestifer erit. Consonat his Thucydides, qui in sua pestilentia sic euenisse narrat: *Si quis antea aliquo morbo laborabat, in hunc omnia conuertebantur.* Egrotavit igitur Cleanactes, grauiter, sed morbus in progressu mitior fuit redditus, quare æger euasit; neque enim in quantumuis horrenda pestilentia omnes moriuntur.

Corripuit igitur Cleonatiden *706*, ignis, hoc est, febris magna, & vehemens, ut intelligatis, hanc sua magnitudine præcedentibus non esse inferiorem, exacerbationes erant erratico modo, hoc est, non sibi inuicem respondentibus

H pari

pari lege repetitionibus, hoc tamen non tollit, quominus fuerit continua: nam continuæ proportionales suas repetitiones habent, respondentes repetitionibus intermittentiæ, possuntque esse vel tertianariæ, vel quartanariæ, vel singulorum dierum, vel tandem inordinatæ, quas vocant medici erraticas, Hippocrates *πλανήτιαι*, in præsentem verò *πεπλανημέναι*, hoc est, errantes. Celsus has febres incertas vocat, intelligite, incertitudine paroxysmorum, quod Galenus declarat, quod est nullo circuitus ordine, ut nunc v. g. tertio, vel quarto quoque die febricitaret, nunc quinto, vel sexto.

Dolebat autem caput — Multum referret, si nobis explicaret huius doloris conditionem, utrum, scilicet, fuerit acutus, an pulsatorius, an vero grauatiùs, & utrum in posteriore, an in anteriore capitis parte, num fixus, & continuus an qui enanesceret, aut repeteret. Quid hæ differentia secum portent, nos explicabimus, interim memores estote, raro esse febrem, in qua caput non doleat; cum enim, ut Hippocrates ait, concavum sit, & veluti cucurbita corpori incumbat, ad se trahit, & illuc corpus vapores omnis generis, teste eodem, demittit, quare rectè appellari solet totius corporis caminus, & ex consequente, quando in corpore incendium viget, necesse est, ut in camino fumus superfluat. Sunt aliqui (sed raro) quibus caput adeo robustum est, ut nunquam illis doleat.

Et latus sinistrum — Galenus de difficultate respirationis, ex hoc lateris dolore colligit, hunc ægrotum difficilem habuisse respirationem, tamen

men id omiffum ab Hippocrate, vt pote valde manifestum. Et quidem videtur, fimul cum lateris dolore femper paruam, & frequentem adesse refpirationem, tamen nec propterea credatis fuiſſe pleuriticum, nam alias tuſſis excreatur, quod præcipuum eſt inter pleuritidis ſigna, mentionem feciſſet.

Et aliarum partium dolores aderant laſſatorum more -- Cum non ſit vna tantum laſſitudinis ſpecies, nec vnus tantum omnium laſſitudinum dolor, oportebat, vt nobis ſignificaret, fuerit ne dolor tenſius, an grauatiuus, an compoſitus ex vtroque, & hunc tertium magis fuiſſe exiſtimo: quippe cõſentaneũ eſt Cleanactidẽ, vt alia ſigna oſtendunt, & plenitudine, & cacochymia laboraſſe, ac ſubinde affectũ habuiſſe phlegmonosũ.

Vt plurimum indicatorijs diebus -- Proprium eſſe peſtilentium in diebus decretorijs exacerbari, decretum eſt à Galeno, quod cum Cleanactidi euenerit, mirum eſt quod Mercurialis, immo & Galenus ſalutaria omnia in hoc ægro tanti inuenerint, forſitan magis ex euentu, quàm ex rationis norma iudicantes. Cum ergo omnibus morbis commune ſit, decretorijs diebus agitationem pati, hæc in ſalutaribus victoriam naturæ attribuit, in malignis eandem, vel proſternit, vel ſatis fatigat, ita vt ſalubres diebus criticis, melius habeant, inſalubres autem deterius.

Sanguis ex vtriſque naribus -- Præcedens capitis dolor aut vomitum, aut ſanguinis fluorem è naribus ſignificabat, vtrumque accidit, Vomitum, quidem, non ob culpam ventriculi: nulla enim in eo erat noxa, quod conſtat, quia nec ſi-

H 2 ticulo-

ticulosus erat, neque in appetentiam patiebatur. Quare miror Vallesium, qui huius mali mineram in ventriculo constituit. Si verò quærat ab eo, cur nec sitim, nec inappetentiam stomacho læso? respondet id accidisse, quia multus, & crudus, frigidusque humor erat. Sed hoc præter rationem est dictum, nam ab exeuntibus cognoscimus, biliosos potius, quam pituitosos fuisse humores, deinde humor multus, licet, crudus, & frigidus, inappetentiam facere est aptus, vel saltem famis carentiam, quippe nec inanitio, nec diuulsio tunc sentitur. Multò minùs mihi placet, quod ait, humores fuisse non solum in capacitate ventriculi, sed etià intra eius tunicas: at tunice ventriculi humore excrementitio imbuta, possunt non excitare nauseam, vti cavitatis vomitum.

Exiuit igitur sanguis copiosus, quæ laudatissima est euacuatio in ardentibus febribus, dico copiosum, quia si fuisset stilia sanguinis, id declarasset Hippocrates, vt in alijs fecit. Caput igitur ob repletionem totum doluit, propterea per vtramque nares se exoneravit. Erat hoc opus naturæ circa materiam morbificam, satagentis, cumque adhuc non adessent signa coctionis, magis impetu, quam lege sua ducebatur, ac proinde inordinati erant motus, & sanguis inordinate fluebat. Et fortasse quia febris erroneo modo affligebat, in qua etiam erroneo modo solent rigores accedere, omnia etiam alia erroneo modo se gerebant, inæqualitatem materiarum attestantia. Durauit tamen isthæ euacuatio vsque ad diem crisis, nempe, natura peruices se se exonerante, & quod vnica expul-
fione

sione præstare nequiuit, pluribus multiplicatis præstitit.

Minxit subrubra -- Ex hac vrina, poterat medicus sanitatem polliceri, addito tamen in prognosi, quod adhuc duraturus fuit morbus, vt re vera accidit: siquidem quadragesima die has vrinas subrubras cum sedimento valde rubro minxit, & morbus ad octogesimam fuit prorogatus, perfectè tamen iudicatus.

Multum sudauit -- Mirum, quod sudore fuerit iudicatus, cum tamen multiplex adfit ratio, ob quam abscessus foret sperandus; tum quia febris erat laboriosa, in qua Hippocrates fieri abscessus sic ait, *lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt*. tum quia erratica continua: sicut enim erratica intermittens abscedit in quartanam, sic continua in articularum tumores, vt Galenus nos docet. Tum denique quia diuturna, dicente Hippocrat. *Quibus febres longæ, ijs tubercula, vel labores in articulis fiunt*. Attamen per totum morbum visa fuit natura ad sudorem inclinare, quapropter eam viam faciliorem inuenit.

Subsidentia rubra -- Perfecta iudicatio fuit, quàm præcedere debuisset subsidentia alba, vt pote perfectæ coctionis index, præcessit rubra: quippe etiam hæc, vbi adest fortis naturæ contentio, sufficit ad criticam expulsionem. In cuius rei gratiam animaduertite, sexagesima die febre, ex continua factam fuisse intermittentem, quod idem est, ac si dicamus, naturam redditam superiorem potuisse materiam, quæ prius intra venas putrescebat extra venas emit-

H 3 tere,

tere, & quolibet paroxysmo portionem euincere. cum igitur in paroxysmo octogesima diei expulsio facta fuisset copiosa per sudorem, videtur natura, & coctum, & semicoctum simul, parva semel victoria, expellere potuisse. Admoneo tamen

vos, ne ex hoc ægotantem addiscatis, crasim breui futuram polliceri, cum adhuc sedimentum non est vnde-
quaque perfectum.

..



ÆGRO-

ÆGROTVS SEPTIMVS.

METONEM febris vehemens corripuit, lumborum grauitas dolorosa. Postridie; ubi aquam bibisset satis multam, ab aluo probè prodijt. Tertia capitis grauitas secessus tennes, biliosi, subrubri. Quarta omnia exacerbata sunt. Fluebat à dextra nare bis sanguis modicus. Noctem molestè tulit. Secessus similes tertiæ diei. Urinæ subnigræ, habebant quiddam in medio innatans, subnigrum, diuulsum: non subsidebant. Quinta effluxit ex sinistra nare sanguis largus, merus. Sudauit iudicatus est. Post iudicationem in somnis delirabat. Urinæ tennes, sub nigræ. Capitis lotionibus vsus est: dormiuit: resipiscebat. Huic recidua facta non est. Sed sanguis erupit sæpe etiam post iudicationem.

Lumborum grauitas dolorosa -- Plerosque ex ægrotatibus illius tempestatis dolor lumborum comitabatur, quod in plenitudine contingit, repleta scilicet vena caua ascendente, quæ per lumbos discurrit, & tensionem cum grauitate faciente. Febris igitur cum plenitudine synocha fuisse videtur, nempe, ex sanguine iam quodammodo in bilem abeunte, propterea meritò aquæ potu copioso eam Hippocrates curauit: quippe credibile est, ægrum, nonnisi iubente medico, potum largiorem frigida haussisse. Poterit tamen aliquis negare, medici consilio fuisse vsum; quippe non dum aderant coctionis no-

tæ, quæ requiruntur à Galeno ad exhibendum aquæ potum.

Fluebat à dextra nare bis sanguis modicus. Quarta hac die, sanguinem è naribus pigrè admodum egressum fuisse, non esset in bonis ducendum. Duretus existimat perniciosum signum fuisse, & Metonem in magno periculo fore, nisi Hippocrates lotionem capitis vberiore hemorhagiam prouocasset. Verùm hoc ridiculum admodum est, nam quarta die apparuit sanguis paulatim fluens, quinta fuit iudicatus, post iudicium mansit vigil, & delirus, ad quæ duo symptomata respiciens, lotionem capitis usus est, quid conferre potuit hæc lotio ad sanguinis fluxum, qui iam antea die quinto fuit copiosus. Profecto, quemadmodum sanguis parcè fluens, quia est diminuta euacuatio, si die decretoria contingat, prauum est: neque enim morbum potest iudicare, ita si contingat in die indicatoria bonum esse potest, quasi incipientis euacuationis indicium. sic paucus sudor in die indicatoria, copiosum sudorem in decretoria pollicetur. Atque hæc sunt signa, quæ

Gal. 1. Galenus signa simul, & causas appellat. *Alte-*
cris. c. 14 *rum genus* (inquit ille) *non solum signorum decretoria-*
rum, sed etiam *causarum* obtinet vicem. Sunt vero hæc vomitus, & excrementa alui, & multitudo urinarum, & sudores, & sanguinis eruptiones, & parotides, atque alij decubitus. Ceterum illud semper pro indubitato habete, securiores esse febres, in quibus natura nihil excernit, quàm in quibus pauca, & inutilia. Et huius rei triplex potest assignari ratio, prima, quia interim sus-
spicio

Spicio adest naturæ coctioni incumbens, secunda, quia signum est materiam, nec copia, nec qualitate irritare, tertia, quia abest timor translationis ad membrum princeps, quæ translatio fieri solet ex euacuatione tentata, sed non peracta.

Noctem moleste tulit -- Non erat adhuc sequuta euacuatio, caput autem, extranmisso in vapores conuerso sanguine, satis graue, nec cessabat natura, etiam per inferiora, deiectiones precedentibus similes, expellere; vrina etiam secum ferebat adusti humoris portionem, multis flatribus permixtam, siquidem contenta non subsidebant.

Quinta fluxit ex sinistra -- Quoniam vrina nigra, & nigrum vrinæ contentum magis ad lienē suspicionem mali deferabant, ideo dicendum, est, rectitudinem seruata fuisse, cum sanguis fluxerit per sinistram narē; fluxit, autem, copiosus, tum à natura transmissus, tum ab arte adiutus. Caterum duo hic occurrunt, in quibus medici mens hæere debet. Primum factam fuisse crism, non vna, sed duabus euacuationibus, valde inter se diuersis, nempe, hæmorrhagia è naribus, & sudore. Alterum iudicationem istam fuisse perfectam; siquidem sine recidua; immò & Galenus perfectam fuisse ait, & tamen precedentis coctionis nulla fit mentio. Quod attinet ad primam hæsitationem. Respondeo, in Metone naturam iam antea fuisse sanguinis flori inclinatā, quem, cū perfecisset, remanens exonerata, potuit aliā euacuationē salubriter tētare. Quod si vtrique simul esset, nullum foret inconueniens, impe-

G. 2. diff.
sic. resp.
c. 10.

G.3.cris.
c.2.

impetu actam naturam, hanc illam suscepisse
viam, immò & artifex medicus in magno peri-
culo multa simul, & diuersa molitur, sperans sic
naturam adiutam iri. Videndus est Galenus, qui
vnam, vel plures simul euacuationes in crisi con-
cedit. Quod attinet ad secundum, fuit, quidem
perfecta crisis, non tamen vno impetu absoluta;
sed per plures continuata; sufficit, autem, quod
præcipua euacuationis pars in die critica inci-
piat, vt postea, id quod subsequatur, vtile sit. Si
vero quæras, cur sine præcedente coctione po-
tuit crisis esse perfecta, respondeo ab Hippocra-
te, tamquam quidpiam rarum, fuisse hoc adno-
tatum: nam ait. *Huic recidiva facta non est cuius*
rei causam existimat esse, quia post iudicatio-
nem sanguinis fluxus è naribus continuauit: qua-
si hac euacuationis repetitione diminuta fuerit
materia, adeò, vt non superfuerit tanta, quæ po-
tuiſſet febri fomitem præstare. Et de sanguinis
fluxu spontaneo idem, quod de venæ sectione
fit, dicendum puto: duo de sanguinis missione
sunt comperta, vnum ad hoc auxilium non esse
necessariam coctionem, quod Auicenna inculca-
uit, alterum sanguinis missione leuatam natu-
ram ab eo, quo veluti sarcina premebatur, sui
cōpotem remanere. Hęc eadem fluxui sanguinis
spontaneo accommodemus: nam, nec requirit
antecedentem coctionem, & naturam à sarcina
leuat, vt possit, quod reliquum est, conco-
quere.

ÆGRO-

ÆGROTVS OCTAVVS.

ERASINVM, qui habitabat circa Bootæ torrentem, febris vehemens corripuit post cenam. nocte turbatus fuit: diem primam quiete, noctem laboriosè transegit. Secunda omnia exacerbata sunt, ad noctem deliravit. Tertia dolorosè, multum deliravit. Quarta molestissimè ad noctem nihil dormiuit. Insomnia, & ratiocinationes: deinde peiora, & magna, & periculosa, timor, molestia. Quinta mane resipiscebat, ac intelligebat omnia. Verum ad meridiem multum insanijt: continere se non potuit. Extremitates frigida, sub liuida, Urinae inconcoctæ; circa solis occasionem mortuus est?

Huic febres perpetuo cum sudore: præcordia sublimia: distentio cum dolore. Urinae nigra, habentes quædam in medio suspensa, innatantia, rotunda, non subsidebant. Ab aluo stercora prodibant sitis perpetuo, non valde. Convulsiones multæ cum sudore circa mortem.

Quamvis post cenam in febrem incidit, ne tamen iccirco exilimetis cum Mercuriali, causam procatarcticam huius febris fuisse opiparam comestationem in illa cæna, neque enim fieri potest, vt statim à cibo assumpto, febris accesserit. Hanc ille sibi difficultatem obijcit, & respondet ex Galeno, ex frequentato prauorum

G. 2. de rum eduliorum usu, copiosos humores col-
 al. fac. c. ligi, qui qualibet leui occasione febres *na non bñs*
 de cucu- accendant, propterea in Erasini corpore prauī
 mere. humores ex prauo victu cumulati, potuerunt,
 occasione liberalioris cænæ, incallescere. Pu-
 tat ergo, hanc historiam esse quasi exem-
 plum detrimenti, quod sequitur ad errores
 commissos in cibo, & potu. Et profectò,
 si recte attendamus, Galeni mens non ab-
 horret ab hac sententia: siquidem, cum
 Erasinus mortuus fuerit in fine quintæ diei in-
 quit *quintus itaque ab initio quo discessit, non*
numerato primo, quartus efficitur. quasi velit
 prima die fuisse febrem ephemeram, factam
 ex calore cænæ, propterea ex secunda die de-
 bere incipere computationem. Nihilominus
 melius mihi videtur, hanc historiam esse nota-
 bile exemplum repentinæ inuasionis febrium
 pestilentium. Cum enim nihil mali præsensif-
 set, & optimè cænasset, nulla præeunte las-
 situdine, nulla futuri mali suspitione, subito
 post cænā veneno, quod intus latebat, se
 se manifestante, grauiter capit ægrotare. Phi-
 lista, ex longis potationibus caput grauiter
 dolebat, postea quadam nocte dolor solito
 grauior esse capit, & *incaluit primum.* Ado-
 lescens Melibæ ex nimio potu, & Venere,
 diu calefactus decubuit, notate illud *diu*, quod
 præteritas compotationes significat. Quidam
 alius incaluit, & postea cænauit, habuit sci-
 licet ægrotandi occasionem, & principium
 ante cænā. De Erasino longè aliter nar-
 ratur,

3. epid.
 sect. 2. e-
 grot. 4.

ratur, videlicet, vehementi febre post cœnam fuisse correptum, neque adhuc cœna-
 nocendi tempus habebat. Subitam vero ma-
 lignorum inuasionem significauit Hippocra- *H. 3. ep. 3.*
 tes enarrans pestilentem constitutionem his *sect. 3.*
 verbis *sacri ignes multi hos cum occasione affe-* *tex. 9.*
cerunt, illos non, qui maligni cum essent, mul-
tos interemerunt. cui consonat Thucydides in
 enarratione pestilentiae suo tempore grassan-
 tis. *alios ex nulla euidente causa, sed subito cum*
sani forent.

Fateor quidem magnum laboriosæ nocti
 attulisse ante actam cœnam, & melius ha-
 biturum si non cœnasset. Caterum cum nul-
 la impendentis mali habuisset indicia, qui
 potuit à cibo abstinere? cum ergo pleno
 ventri febris superuenisset, anxietudines fue-
 runt maximæ. Si enim sanis ventriculus, ci-
 bis grauat, toti corpori *2. acut.*
22. inducit, ob quam, ut habetur, patiens in lecto
 inordinatè iactatur.

Quamuis autem prima die, cessante no-
 ctis impetu, aliquantulum quieuit: neque
 enim paroxysmus ad sequentem noctem re-
 misit, sed die declinavit, noctu reuersio-
 nem fecit, ut hinc intelligatis, male Mer-
 curiali hanc febrem continentem acma-
 sticam fuisse dictam. Cur acmaistica? quia sci-
 licet, ait ille, semper in deterius vergebat.
 At impertinens est isthæc ratio. Nunquid
 non moriuntur etiam homines ex conti-
 nuis proportionalibus, quæ suas habent sta-
 tutas

tutas exacerbationes? immò maximè. Deinde sciat oportet, ac masticam non ita dici, quia symptomata in deterius vergunt: hoc enim pacto, non nisi acmastica posset interimere, dicitur igitur acmastica, quoniam febrile incendium in dies maior fit, cum id quod resolvitur fit minus, quam quòd incenditur; sicut è contrario, quando id, quod resolvitur est magis, fit paracmastica, cum vtrumque est æquale, omotonos. Sed dicetis symptomata sequuntur morbum, velut umbra corpus, si igitur acmastica fit semper crescendo, similiter & symptomata semper ulterius progredientur. ad quod, omisis multorum inutilibus distinctionibus, respondeo, axioma illud symptoma sequitur morbum velut umbra corpus, recipi, quidem non tamquam pronuntiatum uniuersale, immo potius tamquam sententiam, quæ multoties fallit, quod à Galeno poteritis addiscere. Nam sic ait, *sæpius affectio, quæ laborant, minor quidem existit, sed symptomata augentur, ut in phlegmone obseffis particulis, 2. aph. 4. cum pus conficitur dolores, & febres fiunt, magis quàm postquam confectum est, sæpius autem mutuis exultant incrementis decrementisque symptomatum magnitudines, & ea quæ affectionis est.*

Gal. 3.
acut.
conf. 62.

Tertia dolorosè multum delirauit -- Appellat, ut mea fert sententia, delirium dolosum querimonias deliras, contingit ægrotantibus, qui mente non constant conqueri assiduo, nec tamen, si interrogentur, rationem querimoniarum reddere, sed tamen quærentur, & grauissimum malum esse iudico; perijt enim in his iudicium,
re-

remanet naturalis instinctus, instinctu queruntur, iudicij defectu non exprimunt, cur querantur. Si verò obijciatis, eos, qui dolorem non sentiunt mente laborare. respondeo, verum esse, sed non vicè versa, hoc est, quoties adest manifesta doloris causa, si æger non conqueratur, id fit ob mentis læsionem. potest tamen mentis læsio adeste, & æger conqueri, illis magna obliuio facit, vt quærimonias obliuiscantur, in istis applicatio naturæ relinquit quærimonijs locum.

²⁶ Dolorem quidem sentiunt etiam delirantes, neque Hippocrates id negaret, quamuis dixit *dolorem non sentiunt*, sed *non sentiunt*, quasi diceret, non sentire videntur: quoniam non conquerruntur. Tria in dolore concurrunt, vnum obiectum, alterum sensus, in quo fit dolor, tertium potentia, in qua fit doloris cognitio, quam Aristoteles phantasiā, Hippocrates mentem vocat; iuxta hæc tria tripliciter potest cessare dolor. Primo ablato obiecto, hoc est, curata doloris causa, vt quando dolores ex calido frigoricis, aut ex frigido calorificis curamus, aut solutionem continui emendamus. Secundo quando deest sensus, vt in oculo cæci, aut in aure surdi, quantumuis validum adsit obiectum, non potest fieri sensatio, & hoc modo medemur doloribus per narcotica; quippe sensus tactus, in ea parte cui obtupefactuum remedium adhibemus, cessat. Tertio quando potentia, in qua debet fieri cognitio, est læsa, & hoc pacto deliri dicuntur dolorem non sentire. Cæterum duo hic notate, vnum ex defectu obiecti, aut organi dicitur verè non adeste dolor, ex defectu potentia,

tia, adest quidem dolor, non tamen adest doloris cognitio. Hinc est, quod in prælio vulnerati, aut quouis alio modo non aduertentes, exiguo temporis spatio non queruntur de dolore, postea in se ipsos reuerfi, nulla re denuo adueniente, dolere se aiunt. Alterum notatu dignum est, non ex omni mentis læssione, nec in omni dolorifico obiecto, doloris priuationem contingere. Nam in potentia internæ actione deprauata, causa levis obliuione inuoluitur, si verò eundem delirantem fortiter astringatis, dolens exclamat. In potentia internæ ablata actione, vt in forti apoplexia, nulla omnino sensationis apparent signa, adeo vt vrantur, neque prorsus moueantur. In actione diminuta, prout magis, aut minus actio est diminuta, maiora, aut minora obiecta sentiunt, videbitis apopleticos, si astringantur, contrahi, dormientes verò, qui longè leuius habent actiones impeditas, leuiter puncti contrahuntur.

Itaque in dolore est sensatio, & hæc fit in suo organo, est cognitio, & hæc fit in potentia interna. ad sensationem sequitur cognitio, nisi adsit impedimentum, quale adest in ijs, quibus mens ægrotat, ad cognitionem adest quærela, quæ si cognitio distincta sit, optima cum ratione peragitur, sin confusa, non fit cum ratione. Erat Erasimus mentis confusione impeditus, quare querebatur sine ratione, quod Hippocrates ait *dolorosè delirabat*. Caterum, videor mihi contrarius, qui initio dixi, conqueri delirantem instinctu naturæ, nunc dico conqueri cognitione confusa, at instinctus nullam

lam supponit cognitionem. Ego vero existimo, nihil aliud esse instinctum, quam cognitionem confusam, quam, ut vnaquæque pars corporis habet ad conseruationem sui totius, ita vnumquodque indiuiduum ad conseruationem speciei, & partes, etiam mundi, ad conseruandum vniuersum.

Nihil dormiuit, insomnia, & ratiocinationes ~ Duplex videtur inuolui contradictio, vtramque expedio. Prima est, si nihil dormiuit, quomodo aderant insomnia, quæ non nisi dormientibus adsunt? Altera, si somniabat, quomodo ratiocinabatur? Quod attinet ad primam: cum somnus sit quies corporis, & animi, meritò somnus ille, qui *ταραχώδης*, hoc est, turbulentus appellatur, quippe aliquando dormiunt furiosi, sed in somno exclamant, profiliunt, iactantur, somnus, ut pote, qui non est quies. Vnde rectè dicit non dormiuit somniauit: non dormiuit, inquam, quoniam non quieuit, somniauit, quoniam non erat vigil. Quod attinet ad secundam fermocinatio, ratiocinatioque in somno etiam naturali multis per sanitatem contingit, quanto magis in somno turbulento, qui laboriosam vigiliam potius, quam somnum representat.

Circa Solis occasum mortuus est ~ Sub finem quintæ diei, cum sextæ appropinquaret, obiit. Exacerbationes habuit, nunc in diebus paribus, nunc in imparibus: quippe proprium est malignorum, nullum seruare ordinem. Adeo autem acuta fuit hæc febris, & signis stipata lethalibus, ut potuerit die quarta occidere, nihilominus tam ad bonum, quam ad malum crises ex suo die

metat

I

de-

decretorio, facili in sequentem dilabuntur, quod & tarditati lunaris accessus, & naturæ innato robori, & remediorum potentia attribui potest. Ad sextam, non potuit accedere præ gravitate morbi, & oppreffione naturæ, neque si accessisset euaderet: nam & sexta est veluti tyrannus, & præcedentia nihil boni sperare sinebant.

Huic febres perpetuo cum sudore. Febres dixit in numero plurali, ut hinc magis conuincatur opinio dicentis, fuisse synochum. Fuit febris, quæ plures habuit accessiones, non quidem intermittens; nam sic periculo vacaret, sed continua proportionalis. Fuit semper cum sudore, ac proinde dicenda est febris, quæ ab Hippocrate in epidemijs *ἰδρωδὲς* appellatur; & a veteribus dicebatur *τυφωδὲς* & *ελωδὲς*, in quibus ab initio ad finem perpetuo sudatur; sudor tamen iste inutilis est, imò perniciosus, nihil enim secum, nisi virium defectionem, afferre potest. Dicitur *ἰδρωδὲς* hoc est sudorifica. Dicitur *τυφωδὲς* quasi fumosa, quia in ea multi exhalant fumi, ex quibus concrefcit sudor; dicitur *ελωδὲς* hoc est humida, palustris, in hac enim corpus (vel sic dicam) redditur palustre.

Prima nigra. Has in progressu narrationis crudas appellauit hoc est non coctas: quemadmodum enim albæ, & aquosæ crudæ sunt, quia infra coctionem subsistunt. Sic nigra, quia in coctione non consistunt, sed materia, quæ concoqui debuerat, adurit. Quod vero addit ultimo loco, circa noctem fuisse conuulsiones multas cum sudore, & mentionem tunc particularem

larem sudoris facit quamuis toto morbo suda-
uerit. Hoc indicat, extremum istum sudorem
esse alterius conditionis à priore: nimirum sudor
frigidus iam qualitate prauus: multum adijcit
prauitati, modo excretionis, & loco, modo si
exitu pigro, veluti miliaris exsudat, loco, si
tantum capite, & collo. Caterum quod conuul-
siones comitem habuerint sudorem, nihil
deterius poterat euenire: quippe su-
dor iste diaphoresin, hoc est re-
solutionem, & conuulsio,
virium prostrationem
infect. Duobus
autem adeo
po-
tentibus virtutis aduersarijs,
quis poterit resiste-
re?



ÆGROTVS NONVS.



CRITONI in Thaso erecte ambulanti, pedis dolor fortis à magno digito cæpit. Decubuit eadem die horridus, anxius, parum subcalescens: nocte desipuit. Secunda die tumor laxus per totum pedem, & circa malleolum sub rubens cum distentione Pustula nigra: febris acuta: insaniit. Ab alio vero merâ, biliosa, satis multa prodibant. Mortuus est altera ab initio die.

G.6. loc.
affect.

Acerbissimus hic morbus, & citò interimens nobis exemplo esse potest innati in corpore veneni, cuius mentionem facit Galenus. Potest aliquis existimare cum Mercuriali, ex maligno, & pestilente abscessu in pede facto, auram venenatam ad cor fuisse transmissam, cuius vi febricitauit Crito, & velociter fuit mortuus, quod potest probari exemplo adolescentis, cui è digito pedis aura adscendens ad caput epilepticos paroxysmos inducebat. Cæterum dupliciter accidere potuit iste abscessus in pedem, vel per metastasim, vel per epigenesim. Per metastasim, transmutata materia ab aliquo interno ad pedem, dummodo tamen inde per palindromiam, hoc est, per recursum iterum ad cor reuerteretur. Per epigenesim autem, hoc est, per propagationem, quia, scilicet, venenum, in aliquo membro
intus

intus latens se se propagauit, tum ad pedem, tum ad cor, & quod quietum prius manens non offendebat, postea agitatione periculum, immo interitum inuehexit. Hoc autem est proprium abscessuum pestilentium, ut deteriores, cum apparent, reddant febres, quia scilicet prius intra corpus venenum cohibitum suas vires non admodum prodidit, postea, iam sine freno agens, deterioris mali est causa.

Itaque de *ambulantibus pedis dolor fortis à magno digito capit*. Potuit deambulatio occasionem præbere huic descensui. Si impurgatus (inquit Hippocrates) laboraueris, vlcera erumpent. cur? nempe, quia exercitio humores ad cutem euocantur, qui prius erant, quia corpus erat cacochymum, ita etiam venenum, quod prius latebat, occasione deambulationis, se se contulit ad pedis digitum.

Fuit *dolor fortis*, locus est neruis multis præditus, ac proinde sensu exacto. Sed dolorem augebat materiæ malignitas, quæ multum confert ad augendam doloris magnitudinem. Decubuit in primis horridus, tum quia, patientibus neruulis digitis pedis, compatiiebatur vniuersum venosum genus, tum quoniam humoris concitati motus horrificas febres efficit. Erat insuper anxius, non vitio stomachi, etenim nulla simul aderat nausea, quæ anxietudines è ventriculo ortas solet comitari, non ex summa debilitate, propter quam æger membrorum pondus sustinere non potens, iactatur, at tanta debilitas nondum aderat, erat ergo anxius propter malignitatem, quæ cor petebat. Erat parum sub-

subcalescens, quod indicabat oppressionem naturæ, propter quam non poterat promptè calorem ad externa effundere.

Nocte desipuit. Proprium est (vt Fernelius optimè adnotauit) non solum cor, sed omne, etiam princeps, quare venenum istum & cor, & cerebrum fuit aggressum, in corde ostenditur ex febre, & anxietudine, in cerebro ex delirio. Altera die creuit tumor per totum pedem, non ita tamen, vt materia decumbens in illam partem defereret alias nobiliores: erat igitur tumor laxus, hoc est ædematosus, nempe ex ferocitate humoris, cui malignitas maximè imprimitur. Sed quamuis in pede erat ædematosus, circa malleolum magis inflammatus partem distendebat, & sic dispar erat in exiguo loco materia; altera ædema, altera inflammationem efficiens, nam, vbi distentio aderat, aderat etiam rubor. Ceterum inflammatio non erat simplex, hoc est, ex sanguine benignissimo humore, sed ex sanguine maligna qualitate infecto, quod cognoscebatur ex pustulis nigris, quas possumus dicere, fuisse ex adusto sanguine carbunculos. Ex adustione materiæ calor febrilis factus fuit mordax, ac proinde febris magis quam antea, acuta, & delirium, quod prius erat duntaxat desipientia, nunc, propter adustionem, conuersum erat in insaniam, hoc est in furorem vehementem. Adustio identidem acutiem materiæ præstauit, biliosam diarrhæam suscitauit, ad quæ nihil profecit ad detrudendam materiam ad inferiora, quippe fomes malignus intus latens, remanebat, qui potuit adeo cor grangræ-

na

na quadam inficere, ut statim interiret, suspi-
cor enim, hanc fuisse heclicam pestilen-
tem, quæ omnium pessima est:
quod enim reperietur reme-
dium ubi cor putredi-
ne infectum la-
borat?

Doctissimus hic in I. Aegrotos Commone-
stans, cum V. Steph. Roderici Cassinensis Praecep-
tis, nec quidem Catholice, sed bonis
modis, hunc in rebus, immo velle, & exopta-
re, hunc opusculum hoc fore censuit typis de-
mandare.

Ego Hippocrati N. Roderici M. P.

Stante huiusmodi relatione imprimat, Germanis
in hunc finem, Januarius 1671.

Immo de hunc in finem, Januarius 1671.

D. Anton. Balth. Medicus Doctor videtur illi-
genus propter opus, & reterat, die prima Febru-
arii 1671.

Fr. Jacobus Cuman de S. Induisti.
Genet. Plo.

Reuerendiss. Pater. Accuratus per hunc etuditis-
simus, hunc Stephan. Roderici Cassinensis Praecep-
tis, nec quidem Catholice, sed bonis
modis, hunc in rebus, immo velle, & exopta-
re, hunc opusculum hoc fore censuit typis de-
mandare.

Ego Antonius Balth. M. P.

Stante huiusmodi relatione, Imprimatur.
Fr. Jacobus Cuman de S. Induisti.

Alexander Victorius Senator, & edit. Magni
D. Pater. Audi.

AP

A P P R O B A T I O.

D. Hipolitus Nardus Medicinæ Doctor videat,
& referat, si in hoc opere reperiatur aliquid, quod
fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduersetur.
27. Nouemb. 1654.

Vinc. de Bardis Vic. Gen. Flor.

Doctissima hæc in Hipp. Ægrotos Comment.
eximij olim Viri Steph. Roderici Castrensis atten-
tè perlegi, nec quicquam Catholicæ fidei, bonisue
moribus aduersum reperi, immo vtile, & exopta-
bili, cunctis opusculum hoc fore censui, si typis de-
mandetur.

Ego Hippolytus Nardius M. P.

Stante suprascripta relatione imprimat. seruatis
seruandis 30. Ianuarij 1654.

Vinc. de Bardis Vic. Gen. Flor.

D. Anton. Badij Medicinæ Doctor videat dili-
genter presens opus, & referat : die prima Februa-
rij 1655.

*Fr. Iacobus Cima de Seza Inquisit.
Gener. Flor.*

Reuerendiss. Pater. Accuratè perlegi eruditis-
sima hæc Stephani Roderici Castrensis Præcepto-
ris mei commentaria. Quæ sicut & omnia alia ip-
sius opera, celeberrima, ac Litteratis omnibus exo-
ptanda existimo. Ideo perutile erit cunctis, vt Ty-
pis mandentur.

Ego Antonius Badium M. P.

Attenta supradicta relatione. Imprimatur.

Fr. Iacobus Cima Inquisit. Gener.

Alexander Victorius Senator, Sereniss. Magni
Ducis Audit.